FRANC.

HOTOMANI

IVRISCONSVLTI,

Francogallia.

Libellus statum veteris Rei publicæ Gallicæ, tum deinde à Francis occupatæ, describens.

Editio secunda.

***

COLONIAE,

Ex officina Hieronymi Bertulphi.

1574

ILLVSTRISSIMO

& Potentissimo Principi ac Domino, Domino Friderico Comiti Palatino ad Rhenum, Bauariæ Duci, &c. Romani Imperii Electori primario, Domino suo clementissimo. S. P.

VETVS verbũ est, illustrissimè Princeps, Patria est vbicunque est bene: Teucro Telamonis filio attributũ: multísque seculis comprobatum. nam fortis animi excelsiq; videtur esse, vt cætera incõmoda, sic etiã exilium æquo animo ferre: ingratæque patriæ, tanquam nouercæ, iniurias cõtemnere. verùm ego longè esse arbitror secus. nam si parentum mores atque adeò asperitatem iniquius ferre, sceleratũ ac prope impium videtur: quanto magis patriæ? quam sapientes omnes vna & mente & voce semper parentibus anteposuerunt. Est quidẽ hominis securi, & de suis tãtùm cõmodis cogitãtis, patriæ caritatẽ suis opportunitatibus metiri. sed illa tãta securitas, pars quædã eius immanitatis videtur, quæ propria vel Epicureorũ vel Cynicorũ fuit: vnde vox illa furialis profecta est, Me mortuo, terra misceatur incendio. à qua ne illud quidem vetus Tyrannicum abhorret, Pereant amici, dum vnà inimici intercidant. Est in mansuetis ingeniis

caritas quædam innata patriæ, quæ deleri, ni si cum reliquis humanitatis sensibus, non potest. qualem caritatem Homerus in Vlysse describit, qui patriam Ithacam saxis præruptis & asperis, tanquam nidulum, affixam omnibus tamen deliciis, atque adeo Regno sibi à Calypsone oblato anteposuit.

Nescio quâ natale solum dulcedine cũctos
Afficit, immemores nec sinit esse sui.

vt verè Poeta vetus cecinit: cùm & cœli, vnde primum spiritum duximus, & soli in quo prima vestigia posuimus, & cognatorum, propinquorum, æqualiúmque nobis in mentem venit. Verumenim verò, dicet aliquis, delira interdum patria est, mentísque errore afficitur: vt Plato de sua locutus est: interdum etiam furore amens crudeliter bacchatur, atque in sua viscera sæuit. Primùm cautio est, ne alienam culpam innocenti patriæ ascribamus. multi Romæ, multi aliis in locis Tyranni immanes fuerunt. hi non modò bonos viros, verumetiam benemeritos de patria ciues omnibus cruciatibus afficiebant. Continuóne verum fuit, illorum insanias patriæ acceptas ferre? Memoratur Imperatoris Macrini crudelitas: quem Iulius Capitolinus Macellinum nominatum scribit, propterea quòd domus eius, vt macellum sanguine pecudum, sic illa hominum sanguine cruentabatur. Complures alii passim ab historicis commemorantur: quorum alius (vt idem Capitolinus scribit) ab eadem crudelitate Cyclops, alius Busiris, alius Sciron, alius Typhon, alius Gyges nominatus est: cùm illi sic animum induxissent, regna & imperia nisi crudelitate retineri non posse. Icciircóne cura omnis & solicitudo patriæ ciuibus bonis abiicienda fuit? imo verò tanquam oppressæ & miseræ & natorum opem imploranti succurrendũ: remediáq; modis omnibus cõquirenda: quanquã, ô fortunatas bonis & mãsuetis Principibus regiones! ô beatos ciues, quibus Principũ suorũ benignitate, trãquillè licet in patriis auitísq; sedibus cũ cõiugibus & liberis cõsenescere. nã plerũque certè vsuuenit, vt remedia malis ipsis, quibus ea quærun tur, deteriora sint. Anni sunt, vt opinor, sexdecim, Princeps illustrissime, ex quo Deus Opt. Max. partẽ Germaniæ Rhenanæ nõ exiguã fidei ac potestati C. T. cõmendauit. vix dici potest, quantã ex eo tẽpore trãquillitatẽ, & tanquã in pacato mari malaciã totõ Palatinatu videre licuerit: quàm pacata semper sedatáque omnia, quàm piè, sanctè, & religiosè constituta. Macte igitur ista mãsuetudine, clementissime Princeps: quod ego, quantũ & animi & corporis viribus contendere possum, iterùm exclamo: macte ista virtute placida & mansueta: non quemadmodũ Seneca memoriæ prodidit, moris apud Roma-

nos fuisse, vt sanguinolētis & ex acie redeūtibus, Macellinis denique cruore madentibus diceretur, Macte virtute. Sed macte ista māsuetudine animi, clemētia, pietate, iustitia, facilitate, & imperii ac ditionis tuæ trāquillitate. Atque hic cùm ferè sit vestræ Germaniæ status, quemadmodū qui nauigationē instituunt, freta turbulēta, & tumultuosa deuitāt, sedatos ac trāquillos cursus quærunt: similiter quāplurimi hodie regiones latrociniis infestas fugiunt, trāquillas & pacatas quærunt. Ac fuit tēpus, cùm in Francogalliā nostram vndiq; ex omnibus terrarū oris, sese studiosi adolescentes effunderent, & ad nostras Academias, tanquā ad bonarū artium mercaturam conferrēt. nunc illas quasi maria piratis infesta horrēt, neque secus quàm cyclopicam barbariā execrātur. Cuius rei meum pectus memoria exulcerat: cùm cogito miseram & infortunatā patriā duodecim iam ferè annorum spatio incendiis ciuilibus exarsisse. Sed multò me acerbior excruciat dolor, cùm cōsidero non modò tam multos esse otiosos incendiorū spectatores, (qualē olim Neronem Romæ conflagrātis fuisse memorāt) verumetiā flammas illas impiorū quorundā vocibus ac libellis, tanquam flabellis, excitari: ad eas autem extinguendas perpaucos ac ferè nullos accurrere. Mea quidē quàm sit tenuis, quámque humilis cōditio, non sum ignarus.

sed tamen, vt in communi incendio si quis quantumuis abiecta fortuna sitellā aquæ deferat, studium credo eius nemo repudiet: ita spero neminem patriæ communis amantem meam hanc in quærendis remediis operam aspernaturum. Superioribus quidem mensibus in tantarum calamitatū cogitatione defixus, veteres Francogalliæ nostræ historicos omnes & Gallos & Germanos euolui: summámque ex eorum scriptis confeci eius status, quem annos amplius mille in Rep. nostra viguisse testantur: ex qua incredibile dictu est quantam maiorum nostrorum in constituenda Repub. nostra sapientiam cognoscere liceat. vt mihi quidem nequaquam dubium esse videatur, quin ab illa certissimum tantorum malorum remedium petendū sit. Nam mihi attentius in istarum calamitatum caussam inquirenti, sic videbatur: sicuti corpora nostra vel externo impulsu atque ictu, vel intestinis humorum vitiis, vel senio intereunt: ita Rerum publicarum alias hostili impetu, alias domesticis dissensionibus, alias vetustate confici. nostræ autem Reipublicæ incōmoda etsi vulgò ex intestinis dissidiis nata existimātur, tamen hanc non caussam, sed principium malorum esse animaduerti: quod principium à caussa plurimùm discrepare, grauis auctor imprimis Polybius demōstrat. Caussam autem confirmo esse plagam quam

annis abhinc circiter centum ab illo accepit, quem cõstat primum omnium præclara maiorum nostrorum instituta labefactasse. Quẽadmodum autem corpora nostra externo aliquo ictu luxata sanari, nisi membris suũ quibúsque in locum & naturalem sedem restitutis, non possunt: ita Rempublicam nostram tum denique sanatum iri confidimus, cùm in suum antiquum & tanquam naturalem statũ diuino aliquo beneficio restituetur. Et quia C.T. patriæ nostræ semper se amicissimum præbuit, optimum factu iudicaui summam hanc historiæ nostræ illustrissimo tuo nomini inscribere, quasique consecrare: vt eius patrocinio atque auctoritate tutior in hominũ manus peruenire possit. Vale Illustrissime Princeps, & Salue. Deum Opt. Max. oro, vt illustrissimum genus vestrum perpetuò beatissimum ac florentissimum esse patiatur. XII. Kal. Septemb. M. D. LXXIIII.

Illustris. C.T.

obsequentissimus

Franc. Hotomanus.

IN-

INDEX RERVM ET VERBORUM quæ hoc libello continentur.

A

Cura-

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

P

R

Regere

INDEX.

FINIS.

FRANC. HOTOMANI IVRISC. FRANCOGALLIA.

¶ De statu Galliæ priusquam à Romanis in prouinciam redigeretur.

CAP. I.

COGITANTI mihi de Francogalliæ nostræ institutis quãtùm ad vsum Reipub. nostræ, & horũ temporũ opportunitatem satis esse videbitur, conscribere: principiò exponendum videtur, qui Galliæ status fuerit, antequam à Romanis in Prouinciæ formam redigeretur. Nam quæ de gentis origine, & antiquitate, de bellicis laudibus, de regionis situ, & natura, priuatorumque moribus apud Cæsarem, Polybium, Strabonem, Ammianũ, & reliquos scripta extant, nota sunt omnibus, mediocriter quidem eruditis. Intelligendum est igitur eo tum statu Galliã fuisse, vt neque vniuersa vnius imperio regeretur: neque singulæ ciuitates vel in Populi, vel in Optimatum potestate essent: sed ita diuisam in Ciuitates Galliã vniuersam fuisse, vt pleræque Optimatum consilio regerentur, quæ liberæ dicebantur:

cæteræ Reges haberent: omnes quidem hoc inſtitutum tenerent, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent: quo in concilio, quæ ad ſummam Reipub. pertinere videbantur, conſtituerent. Ciuitates autē quatuor & ſexaginta Corn. Tacitus numerat lib.3. hoc eſt, vt ex Cæſare intelligitur, Regiones, quæ non modò lingua, moribus, & inſtitutis, verùm etiam iiſdem magiſtratibus vtebantur: quales ipſe multis locis AEduorum Aruernorum, & Rhemorum ciuitates præcipuè commemorat. Itaque cùm AEduum Dumnorigem Cæſar interficiendum curaret, reſiſtere, inquit, ac ſe manu defendere, ſuorúmque fidem implorare cœpit: ſæpè clamitans, liberum ſe, liberæque ciuitatis eſſe. lib.5 cap.3. Qua propter in eandem ſententiam Strabo lib.4. ita ſcribit, ἀριστοκρατικαὶ δ' ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν. ἕνα δ' ἡγεμόνα ᾑροῦντο κατ' ἐνιαυτὸν τὸ παλαιόν, ὡς δ' αὔτως εἰς πόλεμον εἷς ὑπὸ τοῦ πλήθους ἀπεδείκνυτο στρατηγός. Pleræque, inquit, ciuitates Optimatum conſiliis regebantur: vnum autem magiſtratum olim quotannis deligebant: ſicut & ad bellum gerendum vnus à populo imperator creabatur. Eodem pertinet quod Cæſar lib.6. cap.4. his ſcribit verbis: Quæ ciuitates commodius ſuam Repub. adminiſtrare exiſtimantur, habent legibus

bus ſancitum, ſiquis quid de Repub. à finitimis rumore aut fama acceperit, vt ad Magiſtratum deferat, néve cum quo alio communicet: Magiſtratus quæ viſa ſunt, occultant: quæque eſſe ex vſu iudicauerint, multitudini produnt. De Repu. niſi per concilium loqui non conceditur. De communi verò totius Gentis concilio pauca hæc ex Cæſare teſtimonia proferemus. Petierunt, (inquit, lib.1. cap.12.) vti ſibi conciliū totius Galliæ in diē certam indicere, ídque Cæſaris voluntate facere liceret. Item lib.7. cap 12. Totius Galliæ concilium Bibracte indicitur. eodem cōueniunt vndique frequentes multitudines. Et lib. 6. cap.1. Cæſar concilio Galliæ primo vere (vt inſtituerat) indicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes, Treuiróſque veniſſent, concilium Lutetiam Pariſiorum transfert. Et lib.7. cap.6. Quæ ab reliquis Gallis ciuitates diſſentiebant, has ſua diligentia (de Vercingentorige loquitur) adiuncturū, atque vnum concilium totius Galliæ effecturum, cui concilio ne orbis quidem terrarum poſſit obſiſtere. Iam verò de Regibus, qui ciuitatibus quibuſdam præerant, loca ſunt apud eundē auctorem propè innumera: ex quibus illud memoria dignum intelligitur, moris fuiſſe Romanis, vt quos Regulos ad ſuas rationes accōmodatos, id eſt, ad res nouas, con

turbandásque ciuitates, & inimicitias cum aliis exercendas idoneos iudicabant, eos sibi amicitia & societate adiungerent: summíque honoris ac beneficii loco, socios atque amicos suos honorificentissimis decretis appellarent: eúmque verborum honorem Reges exteri complures magnis largitionibus à ciuitatis Romanæ principibus comparabant. Reges autem, vel Regulos potius, Galli eos nominabant, qui non ad tempus, vt ciuitatum magistratus: sed in perpetuum, regium imperium quantumuis exiguis finibus obtinebant: quos immutata temporum consuetudo, Duces, Comites, Marchiones appellauit. Earum porrò ciuitatum aliæ aliis potentiores erant: quarum se in fidem & clientelam, quæ minus per se poterant, studiosè conferebant. Has Cæsar superiorum stipendiarias, vectigales, & earum imperio subiectas appellat. Plerunque tamen in fide aliarum esse scribit. Regnãte Romæ Prisco Tarquinio (inquit Liuius lib. 5.) Celtarum penes Bituriges summa imperii fuit: ii Regem Celtis dabant. Aduentu Cæsaris in Galliam, (qui fuit annus ab vrbe condita DCXCV.) Galliæ totius factiones erant duæ. Harum alterius principatum tenebant AEdui: alterius Aruerni: multósque annos de potẽtatu inter se contenderant. Sed illa contentio ea re magnopere

gnopere augebatur, quòd Bituriges Aruernorum finitimi, in fide & imperio AEduorum erant. Sequani contrà, AEduorum finitimi, in Aruernorum fide. lib. 1. cap. 12. lib. 6. cap. 4. Cùm has Gallorum contentiones Romani ad suas rationes, id est ad suam potentiam amplificandam aptissimas indicarent, studiosè illas alebant. Itaque AEduos in societatem asciuerunt, eósque exquisito verborum honore Fratres consanguineósque suos appellarunt. In AEduorum fide & clientela reperio fuisse, primùm Senones, quibuscum Parisii paulò antè suam ciuitatem fœdere & societate coniunxerant. lib. 6. cap. 1. tum Bellouacos, quorum tamen erat ciuitas magna, & plurimum inter Belgas & virtute, & auctoritate, & hominum multitudine valebat. libro secundo, cap. 4. & lib. 7. cap. 7. Sub imperio Neruiorum Cæsar numerat Centrones, Grudios, Læuacos, Pleumosios, Gordũnos. libro 5. cap. 11. Treuirorum clientes idẽ numerat Eburones, & Condrusos. libro 4. capite secundo. Venetorum autem ciuitatis (hi sunt in Armorica) longè amplissimam auctoritatem idem fuisse scribit omnium oræ maritimæ regionum earum, omnésque ferè qui eo mari vti consueuerant, illius fuisse vectigales. lib. 3. cap. 2. Aruernorum autem tanta erat amplitudo, vt non modò se AEduis

adæquarent, verùm etiam paulò ante Cæsaris aduentum magnam clientium partem ab illis ad se traduxissent. lib.6.cap.4.lib.7.cap.10. Itaque Strabo libro quarto scribit, eos quadringentis hominum millibus duce Vercingentorige bellum aduersus Cæsarem gessisse. Hi ab regio imperio abhorrebant. Itaque cùm Celtillus Vercingentorigis pater summæ potentiæ atque auctoritatis esset, eóque totius Galliæ principatum obtineret, ob eam caussam quòd Regnum appetebat, ab ciuitate interfectus fuerat. lib.7.cap.1. Sequani contrà Catamantaledem Regem habebant, quem Romani amicum ac socium appellarant. libro 1.capit.2. Suessiones quoque qui latissimos feracissimósque agros possidebant, oppidáque habebant numero XII, & armatorum L. millia conficere poterant, Diuitiacum totius Galliæ potentissimũ Regem paulò antè habuerant: qui non tantùm magnæ partis Belgarum, verumetiam Britanniæ imperium obtinuerat. Cæsaris aduentu Regem Galbam habebant. lib.2 cap.1. In Aquitania Pisonis cuiusdam Aquitani auus regnum obtinuerat, & à Romanis amicus appellatus fuerat. libr.4. cap.3. Senones quoque, quæ fuit ciuitas imprimis firma, & magnæ inter Gallos auctoritatis, quodam tempore Moritasgum Regem habuerant, cu-

ius etiam maiores regnum in eadem ciuitate obtinuerant. lib.5.cap.13. Item Nitiobriges Ollouiconem Regem habuerant, Amicum à Senatu Romano appellatum. libro 7. cap.6. In illis porrò regnis illud obseruatione dignum, neque leuiter prætereundum videtur: primùm quòd hereditaria non erant: sed à populo propter iustitiæ opinionem deferebantur: deinde quòd Reges non infinitum, solutum & effrenatum imperium habebant: sed certis legibus ita circunscriptum, vt non minus ipsi in populi, quàm populus in ipsorum ditione ac potestate esset: vt ferè illa regna nihil aliud, nisi magistratus perpetui, viderentur. Nam multos Cæsar nominat priuatos, quorum tamen parentes ac maiores regnum obtinuerant: in his Casticum Catamantaledis filium, cuius pater in Sequanis multos annos regnum obtinuerat. lib.1.cap.2. Item Pisonem Aquitanum, lib.4. cap.3. Item Tasgetium, cuius maiores in Carnutum ciuitate cum Regio imperio fuerant. libro quinto. cap.8. De imperii verò & potestatis modo, Ambiorix Rex Eburonum apud eundem auctorem ita loquitur: (lib.5. capite 8.) Sua esse eiusmodi imperia, vt non minus haberet in se iuris multitudo, quã ipse in multitudinem. Quam optimã ac præstantissimam Reipub. formã esse, propterea Pla-

to, & Aristoteles, & Polybius, & Cicero iudicarunt, quòd Regalis dominatus, si sine fræno (vt ait Plato) relinquatur, vbi in tantam omnium rerum potestatem, tanquam in lubricum locum venerit, facilimè in tyrannidem delabitur. qua de caussa optimatum & delectorum auctoritate, quibus eam potestatem populus permittit, tanquam fræno coercendus est.

¶ Quæ Priscis temporibus Gallorum lingua fuisse videatur.

CAP. II.

HOC loco non prætermittenda quæstio videtur, multorum eruditorum hominum tractata disputationibus, quinam priscis illis temporibus Gallorũ sermo fuerit. Nam quæ ad religiones, & priuatorum mores, cæteráque instituta pertinent, Cæsar, (vt antè diximus) copiosè exposuit. Primùm autem meminisse oportet, quod idem auctor initio Commentariorum scribit, cùm Gallorum alii Belgæ, alii Aquitani, alii Celtæ essent, omnes non modò institutis, verumetiam lingua inter se discrepasse. Quod etiam Strabo libro 4. testatur, vbi ait eos ὁμογλώττους non fuisse, ἀλλ᾽ ἐνίους μικρὸν παραλλάττοντας

ταῖς γλώτταις. Idémque Ammianus Marcellus lib. xv. testatur. Quod verò doctißimi complures, ac præsertim nostri populares, disputant, Gallos Græca lingua vsos fuisse, vel ex eo solo refelli potest, quod Cæsar lib. 5. cap. 12. cõmemorat, cùm Q. Cicero à Gallis obsessus suis in castris teneretur, epistolã ei se Græcis literis scriptam misisse, ne, si interciperetur, sua consilia à Gallis cognoscerentur. Sed occurritur ab nonnullis, proferentibus Strabonis locum ex eodem lib 4. vbi scribit, omniũ optimarum artium, ac præsertim Græcarum literarum, studia Massiliæ viguisse, vsque eò vt Galli eorum exemplo Græcæ linguæ studio caperentur: vt iam pacta & conuenta Græcè scriberent. καὶ φιλέλλωνας κατασκευάσε τοὺς γαλατὰς ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. Verùm ad hanc obiectionem facilis & expedita responsio est. Primùm enim si Galli Massiliensium exemplo Græcam linguam discebant, ánnon perspicuum est, vernaculam illam eorum linguam non fuisse. Deinde Strabo eodem loco non obscurè ostendit, morem illum pacta & contractus Græcè scribendi, suo demum tempore initiũ cepisse: cùm iam vniuersa Gallia Romanis parere didicisset. Prætereà de iis tantùm præcisè loquitur, qui Massiliensibus erant finitimi: quibus in lo-

cis non modò priuati complures, verumetiã ciuitates (inquit) doctos viros Masſilia publi co conſilio propoſitis honorariis ad iuuentu tem ſuam inſtituendam euocabant. Supereſt locus ille apud Cæſarem, vbi ait Gallos, in publicis priuatíſq; rationibus Græcis literis vſos fuiſſe. Sed videamus ne vox GRAECIS eo loco non modò ſuperuacanea, verumetiã vt importuna & adulterina tollẽda ſit: quippe, cùm ad Cæſaris ſententiam exprimendã ſatis fuiſſet dixiſſe, Gallos in ſola Druydum diſciplina literis & ſcriptione vſos non eſſe: in ceteris omnibus, & priuatis & publicis rationibus, literis vſos eſſe. Nã Vti literis, pro Scribere, locutio eſt Latinis auctoribus crebrò vſitata. Præterea repugnãt Gallos linguæ Græcæ imperitos fuiſſe: (quod Cæſar illo ſu periore loco dixerat) & tabulas rationéſque ſuas publicas ac priua tas Græcis literis conſcripſiſſe. Quod autẽ plerique exiſtimãt, Græcas literas eo loco nõ pro ſcriptione, ſed pro formis literarũ vſurpari: nobis propterea minus probatur, quòd locis innumeris (vt modò dicebamus) veteres ſcriptores Vti literis dixerunt, pro Scribere: at pro, formas literarum ducere, quantùm adhuc obſeruare licuit, nuſquam. Neque enim illos adiuuat, quod idem Commentario primo ſcripſerat, reper

repertas in Heluetiorum caſtris tabulas, literis Græcis conſcriptas: quaſi verò qui Græcis literarum notis ſcribere didicerat, non idem eadem opera Græco ſermone ſcribere didiciſſet; aut non eſſe potuerint in Heluetia vel ſacerdotes, vel adoleſcentes nobiles, qui, vt hodie tam multi ſunt qui latinè didicerunt, ita literas Græcas, quæ tum in honore & pretio erant, perdiſcere potuerint. Quam opinionem vel vnica Maſsilienſis ſcholæ vicinitas refellit. Itaque idem Cæſar lib. 5. vbi de illa ſua ad Ciceronem epiſtola loquitur: Hanc, inquit, Græcis conſcriptam literis mittit: ne intercepta epiſtola, noſtra ab hoſtibus conſilia cognoſcantur. Iuſtinus libro 20: Facto S. C. nequis poſtea Carthaginenſis aut literas Græcas, aut ſermonem ſtuderet, ne aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet. Tacitus de moribus Germaniæ. Monumenta & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque adhuc extare. Liuius libro nono. Vulgò tum Romanos pueros, ſicut nũc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Idem libro 28. Ibique aram Annibal condidit, dedicauitque cum ingenti rerum ab ſe geſtarũ titulo, Punicis Græcíſque literis inſculpto. Itẽ lib 40. Literis Latinis Græcíſque vtraque ara inſcripta erat. Deniq; nõ arbitror iſto ſẽ

ſu dictũ rum Cæſarẽ fuiſſe, Grecis literis ſcribere, ſed potius, Græcarum literarũ forma. Velut apud Tacitũ lib. II. Nouas literarum formas addidit: comperto Grecam literaturã non ſimul cœptam abſolutãque. Et mox: Et formæ literis Latinis quæ veterrimis Græcorum. Ac ne quis nimiopere admiretur vocem GRAECIS apud Cæſarem irrepſiſſe, proferam ſimilem caſum apud Plinium lib. 8. cap. 57. vbi ſic ſcriptum eſt: Gentium conſenſus tacitus primùm omnium conſpirauit, vt IONVM literis vterentur. Et mox, ſequens gentiũ conſenſus in tonſoribus fuit. Et mox, Tertius conſenſus eſt in horarum obſeruatione. Nam vocem IONVM tollendam eſſe, quis non videt? non tam quia planè ſuperuacanea eſt: (ntm ad Plinii inſtitutum ſatis fuit dicere primum Gentium conſenſum fuiſſe in ſcriptione & literatura) quàm quia falſum eſt, IONVM primas fuiſſe literas: vt ipſe Plin. ſuperiore primo capite docuit, & Tacitus lib. 11. Animaduerti tamẽ apud Gregorium Turon. lib. 5. & Aimoinum lib. 3. cap. 41. locos duos, quibus ſignificare videtur, Gallos Græcarum literarũ notis vſos fuiſſe. Nã vbi de Chilperico Rege loquuntur, Addidit (inquiunt) & literas literis noſtris: id eſt ω, ψ, ζ, φ. & miſit epiſtolas in vniuerſas ciuitates regni ſui, vt ſic pueri docerentur. Apud

pud Aimoinum autem tres tantùm ponuntur: χ. θ. φ. Verùm intelligendum eſt, Francos iſtos fuiſſe, non Gallos: vel potius Francogallos: qui Germanica lingua, id eſt, patria & natiua, non illa veterum Gallorum, quæ Romanorum dominatu obſoleuerat, vtebãtur. deinde ſi Francogalli Græcis literis vſi fuiſſent, quid ita reliquas omnes, his ſolis exceptis, vſurpaſſent? Verùm hæc quidem plus ſatis. Supereſt eorum opinio, qui putant, Gallos Germanica lingua vſos fuiſſe: quos vel vnus ille Cæſaris refellit locus, in quo ſcribit. Ariouiſtum propter longinquam in Gallia conſuetudinẽ lingua Gallica vſum eſſe. Duabus autem de cauſsis mihi eorum probabilis opinio videtur, qui ſcribunt, veterum Gallorum linguam peculiarem, neque à Britannica diſsimilem fuiſſe: primùm, quia Cæſar ſcribit moris fuiſſe, vt qui Druydum diſciplinam diligentius cognoſcere volebant, plerũque in Britanniam proficiſcerentur. Cùm autem libris nullis vterentur, cõſentaneum eſt, eos eodem quo in Gallia ſermone vſos in docendo fuiſſe. Deinde quia Corn. Tacitus in Agricolæ vita ſcribit, Britannorum & Gallorum ſermonem haud multum diuerſum fuiſſe. Neque mihi Beati Rhenani coniectura diſplicet, qui ſermonem eorum, qui hodie Britones Britonantes appellãtur, veteris no-

strae linguae reliquias fuisse arbitratur: iis de caussis, quas satius est ex ipsius commentario cognosci, quàm à nobis describi. Atque haec quidem de prisca Gallorum lingua dicta sint. Nostram autem qua iam vtimur, non difficile intellectu est, ex variis variarum gentium sermonibus conflatam esse. Ac, si breuiter dilucidéque dicendum est, is quo iam vtimur sermo, quadripartitò distribuendus est: ac dimidia eius pars Romanis accepto ferenda: quemadmodum quiuis Latinis literis tinctus potest animaduertere. Nam praeterquam quod ita natura fert, vt Galli Romanis subiecti ad eorum se mores & linguam lubenter accommodarent: satis constat, Romanos serendi sermonis Latini studiosissimos fuisse: vt per omnes gentes venerabilior diffunderetur: quemadmodũ Valerius Maximus testatur: eaque de caussa ludos literarios passim instituisse: Augustoduni, Vezontione, Lugduni: quod vel ex Tacito & Ausonio cognosci licet. Altera verò dimidia pars ita distribuenda est, vt partem vnam priscis Gallis attribuamus, alteram Fràcis, postremam Graecorum literis. Nam Frãcorum id est (vt paulò post docebimus,) Germanorum, innumeras in quotidiano sermone nostro voces occurrere, iampridem à multis demonstratum est. Ex Graecorum verò

Hodierna Gallica lingua.

rò lingua complura vocabula ad vsum traducta nostrum fuisse, multi iampridem eruditi viri ostenderunt: cuius rei caussa non Druydibus (quos Graecè loquutos non arbitror) sed Massiliensium consuetudini ac disciplinis, de quibus superiùs diximus tribuenda est.

¶ De statu Galliae à Romanis in prouinciae formam redactae.

CAP. III.

GALLIAM à Romanis diu magnis saepe cladibus tentatam, tandémque à C. Caesare decenni prope bello, praeliisque compluribus domitam ac subactam fuisse, atque ad extremum in prouinciae formam redactam, eruditis omnibus notum est. Hoc fortissimae & bellicosissimae gentis fatum fuit, vt Magnae Belluae (quemadmodum in sanctis literis appellatur) tandem aliquando pareret: cum qua tamen ita per annos octingentos (vt Iosephus testatur) de imperio certarat, vt illa nullius alterius nationis armis aequè terreretur. Itaque Plutarchus in Marcello & Camillo, Appianus in lib. de ciuilibus bell. 2. Liuius lib. 8. & 10. memoriae

prodiderunt, Gallos Romanis vsque eo formidolosos fuisse, vt lege sancitum haberent, ne vacationes à militia, quæ sacerdotibus & senibus permittebantur, tumultu Gallico valerent. quod idem & Cicero Philippi.2.commemorat. Quinetiam Cæsar lib.6. testatur, atque ex eiusdem auctoritate Tacitus in lib. de morib.Ger.commemorat, fuisse tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent: & vltrò bella inferrent, ac propter hominum multitudinem trans Rhenum colonias mitterent. Tantæ autem virtutis amissæ iacturam, idem Tacitus amissæ libertati tribuit: in lib.de vita Agricolæ: Nam Gallos, inquit, in bellis floruisse accepimus: mox segnitia cũ otio intrauit, amissa virtute pariter ac libertate. Et quoniam amori patriæ nonnihil indulgendum est, age, præclarum insuper illud de Gallorum virtute, Iustini testimonium proferamus, ex lib.24. Nãque Galli, inquit, abundanti multitudine cùm eos non caperẽt terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes nouas quærendas velut peregrinantem miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ & vrbem Romam captam incendit, & portio Illyricos sinus per strages barbarorum penetrauit, & in Pannonia consedit: gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem

rationem & immortalitatis fidem dedit, Alpium inuicta iuga, & frigore intractabilia loca transcẽdit. ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserũt. Hortãte deinde successu, diuisis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes, petiuere, tantúsque terror Gallici nominis erat, vt etiam Reges non lacessiti, vltrò pacem ingenti pecunia mercarentur. Item lib.seq. Quanquam Gallorum ea tempestate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerẽt. denique neque Reges Orientis, sine mercenario Gallorum exercitu, vlla bella gesserint: neque pulsi Regno ad alios quàm ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis, siue armorum inuicta felicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse, sine Gallica virtute, arbitrarentur. Atque hæc quidem de Gallorum bellicis laudibus & virtute dicta sint: quæ tamen (quemadmodum ex Tacito modò dicebamus) amissa libertate interiit. Nonnullas tamẽ ciuitates post formam prouinciæ à Romanis constitutam libertati suæ relictas, testis est Plinius lib. 4.cap.17. veluti Neruos, Suessiones, Vlbanesses, Leucos. nõ nullos etiã fœderatos: in iis, Lingones, Rhemos, Carnutos, AEduos. Quæ verò earum

ciuitatum, quæ in prouinciæ formam redactæ fuerant, forma & ratio extiterit, facilè ex Critognati Aruerni verbis intelligi potest, apud Cæsarem lib. 7. Quòd si ea, inquit, quæ in longinquis nationibus gerũtur, ignoratis: respicite finitimam Galliam, quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis, securibus subiecta, perpetua premitur seruitute. Triplex autem erat seruitus: primùm vt imposito præsidio firmarentur. quanquam quæ pacatæ satis & sedatæ prouinciæ videbantur, in eas non magnæ copiæ mittebantur. Galliam certè Iosephus libro belli Iud. 2. scribit, Imperator. Titi tempore mille tantum & ducentorum militum præsidio firmatam fuisse: quanquam, inquit, annos ferè octingentos de libertate cum Romanis pugnarint: & penè plures ciuitates, quàm Romanos milites præsidiarios habeant. Alterum seruitutis genus fuit, vt Prouinciæ Romanis stipendiariæ ac vectigales essent, eóque nomine publicanos apud se habere cogerentur: id est, harpyias & hirudines, quæ prouincialium sanguinem exugebant. Eutropius autem libro sexto memoriæ prodidit, Cæsarem subactæ Galliæ tributi nomine imperasse H. S. quadringenties: hoc est, scutatorum, vt nunc loquimur, decies centena millia. Tertia prouincialium seruitus erat,

rat, vt ne legibus suis patriis vterentur, sed magistratus à populo Romano cum imperio & securibus mitterentur, qui in iis ius dicerent. Hanc triplicem seruitutem cùm omnes ferè prouinciales, tum verò Galli nostri ægerrimè molestissiméque tulerunt. Itaque non longo post Cæsaris victorias interuallo, imperante Tiberio, Cornel. Tacit. auctor est, Galliæ ciuitates ob continuationem tributorum, sæuitiam fœnoris, & superbiam præsidentium (hæc enim libro tertio, illius verba sunt) rebellionem fecisse. pòst etiam Nerone imperante, Suetonius scribit, Gallos illius imperium pertæsos, ab ipso defecisse. Talem Principem (inquit cap. 40) paulò minus per XIII. annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit: initium facientibus Gallis. Diuisæ autem sunt à Romanis Galliæ omnes in sexdecim prouincias: Viennensem, Narbonensem primam, Narbonensem secundam, Aquitaniam primam, Aquitaniam secundam, Nouempopulanam, Alpes maritimas, Belgicam primam, Belgicam secundam, Germaniam primam, Germaniam secundam, Lugdunensem primam, Lugdunensem secundam, Lugdunensem tertiã, Maximam Sequanorum, & Alpes Græcas. queãdmodũ Antoninus in Itinerario, & Sextus Ruffus tradunt. Subtilius autem singulas enume

rat Ammianus Marcellinus lib. 15. Nunc, vt ad institutum reuertamur, incredibile dictu est, quàm indignè atque acerbè Galli Romanorum latrocinia tulerint: quámque crebræ ab iis defectiones rebellionésque numerentur: quanquam cùm per se satis virium ad depellẽdam Romanorum tyrannidem non haberent, vetus institutum tenebant, vt Germanos mercede conductos ad suum auxilium euocarent. Vnde Francicarum coloniarum semina primùm exorta sunt. Nam Germani siue à Romanis victi, siue (quod probabilius videtur) pretio empti, cœpere sensim in Galliæ finibus sedes collocare. Hinc illud Suetonii in Augusto: Germanos vltra Albin fluuium summouit: ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit. Idem in Tiberio: Germanico bello quadraginta millia dedititiorũ traiecit in Galliam, iuxtáque ripam Rheni sedibus assignatis collocauit. Neque verò prætereũdum est, quod Flauius Vopiscus de Probi Cæsaris imperio memoriæ prodidit: quo tempore vniuersa propè Gallia, hoc est, sexaginta ciuitates, ab imperio Romano desciuerunt, armáque communi consilio libertatis recuperandæ caussa ceperunt. His gestis, inquit, cum ingenti exercitu Gallias petit, quæ omnes occiso Postumo

mo turbatæ fuerunt, interfecto Aureliano à Germanis possessæ. Tanta autem illic prælia feliciter gessit, vt à Barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet ciuitates. Et cùm iam per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis propè quadringentis millibus, qui Romanum occupauerant solum, reliquias vltra Nicrum fluuiũ & Albin remouit. Quàm crudelis autem & immanis Romanorum dominatus fuerit, quàm acerba latrocinia, quàm tetra, & obscœna vitæ consuetudo, quantóque illa odio atque acerbitati Gallis hominibus, sed præsertim Christianis fuerit, nullis opinor ex scriptis, melius, quàm ex Saluiani Massiliensis Episcopi de prouidẽtia, cognosci potest. Itaque incredibile dictu est, quantæ Germanarum gentium copiæ Gallis non modò fauentibus, verumetiam adiuuãtibus, sese in Gallias effuderint: vnde illud Latini Pacati ad Theodosiũ: Vnde igitur exordiar, nisi à tuis Gallia malis, quæ ex omnibus terris quas illa pestis insederat, haud iniuria tibi vendicas priuilegium miseriarum? Earum autem Germanicarum gentium partem Frãcos nostros fuisse, cùm ex Sidonio Apollinari, tum verò præsertim ex illius Saluiani locis compluribus planissimè intelligitur.

¶ De ortu Francorum, qui Gallia occupata,

eius nomen in Franciam vel Francogalliam mutarunt.

CAP. IIII.

QVARE instituti nostri ratio postulat, vt hoc loco de Francorum ortu, primísque sedibus & & tanquam incunabulis inquiramus. Qua in disquisitione illud summè admirandum videtur, quòd cùm Francorum nomen per tot annos magnam totius Europæ partem occuparit, eámque Germaniæ gẽtem fuisse constet, tamen eorum mentio neque apud Ptolemæum, neque apud Strabonem, aut Plinium, ac ne apud Cornelium quidem Tacitum vlla reperiatur: qui tamen Germanicarum omnium gentium situs & nomina mira diligentia persecutus est. Nam de Francici quidem nominis amplitudine pauca hæc ex multis testimonia proferemus. Primùm ex Iohan. Nauclero, Generat. 27. vbi sic loquitur: Carolus Magnus Rex Francorum dicebatur: quod idem erat ac si nominatus fuisset Rex Germaniæ & Galliæ. Nam clarum est, quòd eo tempore omnis Gallia Transalpina, & etiam Germania, à montibus Pyrenæis vsque in Pannonias, Frãcia dicebatur: illa, id est Germanica, Francia Orientalis: alia, id est Gallica, Francia Occidentalis.

In quo veræ historiæ consentiunt omnes. Eguinarthus in vita Caroli Magni: Ac Salam fluuium qui Thoringos & Sorabos diuidit, posteà à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur. Otto Frising. Chron. 5. cap. 9: Erat autem Francorum iam terminus (loquitur de Dagoberti regno) ab Hispania vsque in Pannoniam, duos nobilissimos ducatus, Aquitaniam & Baioariam. Sed multo copiosius postea libro 6. cap. 17. eúmque imitatus Godefridus Viterb. Chronic. parte 17. sub anno 881: Porrò, inquit, Arnulphus totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum regnum vocatur, id est Bauariam, Sueuiam, Saxoniam, Turingiam, Phrisiam, & Lotharingiam rexit. Occidentalem verò Franciam Odo tenuit. Idem sub anno 913. Mihi ex multis scriptorum auctoritatibus patuit, regnum Teutonicorum, quod Imperator Fridericus nostro tempore possidet, partem esse regni Francorum. Ibi enim primi Franci fuerunt cis citráque Rhenum: quæ hodie Francia Orientalis vsque ad terminos Bauariæ appellatur. Francia verò Occidentalis, est regnum illud, quod est cis citráque Sequanam & Ligerim fluuios. Et mox: Tempore Caroli Magni Regis Francorum, tota Gallia, id est, Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnísque Germania, quæ est

à Rheno vsque ad Illyricum, vna Frãcia fuit. quæ omnia ex Ottone, vt dixi, ferè descripta sunt. Notandum etiam est, quòd Rhegino in Chro.anni DLXXVII. ita scribit: Mortuo Pipino Rege, Ludouicus eius filius, qui ad patris obitum fuerat, & funeris eius obsequia celebrauerat, apud Francofurt, Orientalis Regni principalem sedem, residebat. Luitprandus Ticin.lib.1.cap.6. Simul vt Vvido, quam Romanam dicunt Franciam, Berẽgarius Italiã obtineret. Et paulò post: Cúmque Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, &c. Romanam autem Franciam iccirco appellabant, primùm quia Galliam quæ Romanis paruerat, Franci occuparant: deinde quia Romana lingua in ea regione vsitata erat: quemadmodum superiùs diximus: vnde vetus nata locutio, Loqui Romanum, de iis qui Germanicè siue Francicè non loquebantur. Otto Frisin. Chro.4.cap.pen. Videtur mihi inde Francos, qui in Galliis morantur, à Romanis linguam eorum, qua vsque hodie vtuntur, accommodasse. Nam alii qui circa Rhenum, ac in Germania remanserunt, Theutonica lingua vtuntur. Et hunc imitatus Godfridus parte 17.cap.1. Videntur, inquit, mihi Franci in illis temporibus linguam Romanam, qua vsque hodie vtuntur, ab illis Romanis,

nis, qui ibi habitauerant, didicisse. His ex locis perspicuum est, miram Francorum nominis amplitudinem atque auctoritatem fuisse: quippe cùm magnam Europæ partem occuparet. Quinetiam videmus Germanos in Neapolitanũ & Siculum Regnum ab Imp. Friderico II. traductos, ibíque tanquam colonos præsidio collocatos, Francorum nomine appellatos fuisse. Petrus de Vineis lib. Epist.6.cap.25. Viuens iure Francorum, in eo videlicet, quòd maior natu exclusis minoribus fratribus in castro ipso succedat. Imp. Fridericus II. Neapol.const.lib.2.tit.32: Ingerentes se casus præsentis materiæ, circa Francos, qui personarum suarum, plurimarúmque rerum suarum omnium fortunam in monomachiam, quæ Duellum vulgariter dicitur, reponebant. Et mox: Prædictum igitur probationis modum, quo iure Francorũ viuentes vtebantur. Item libr.2.tit.33. Quod ius inter omnes tam Francos, quàm Longobardos in caussis omnibus volumus esse cõmune. Hæc cùm ita sint, tamen Gregorius Turon. Episcopus, qui de Francorum ortu octingentis abhinc annis scripsit, initio historiæ suæ testatur se, cùm accuratè de Francorum ortu quæsiuisset, nihil tamen certi comperisse: quamuis veterem quendam illorum historicum habuerit Sulpitium Alexandrũ:

qui neque de primis illorum sedibus, neque de Regni primordiis quicquam affirmarit. At nos ex ea regione Francos primùm ortos animaduertimus, quæ inter Albim & Rhenum interiecta, Oceano alluitur: vbi ferè Chauci maiores & minores collocantur: populus (vt ait Tacitus) inter Germanos nobilissimus: quíque magnitudinem suam iustitia tuetur, & Batauorum regioni finitimus erat. Nam primùm omnium satis constat, Francos in ora maritima sedes habuisse, locis admodum palustribus: reíque nauticæ peritissimos, & in bellis maritimis exercitatissimos fuisse. Quarum rerum documenta hæc extant. primùm apud Claudianum, qui Stiliconi victorias gratulans, ita scribit:

Vt iam trans fluuiũ non indignante Chayco,
Pascat Belga pecus, mediúmque ingressa per Albin
Gallica Francorũ montes armenta pererrẽt.

Quo loco Chaycos poeticè appellauit, quos Geographi Chaucos nominarunt. De maritima verò illorum regione Panegyricus Constantino Magno dictus, testimonio est, vbi Rhetor ita loquitur: Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes, non iam ab his locis quæ olim Romani inuaserunt, sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab vltimis Barbariæ littoribus auulsas, vt in desertis Galliæ

Galliæ regionibus collocatæ, pacem Romani imperii cultu iuuarent, & arma delectu. Rursus in altero Eumenii Rhetoris Panegyrico, vbi sic loquitur: Aut hæc ipsa, quæ modò desinit esse Barbaria, non magis feritate Francorum, velut hausta desederat, quàm si eam circumfusa flumina & mare alluens operuisset. Eodémque pertinet Procopii testimonium belli Gottici lib. 1. nam vbi eum locum describit, quo Rhenus in Oceanum influit: His, inquit, locis non mediocres sunt paludes: vbi antiquitus Germani habitabant: natio barbara, nec magnæ tum existimationis homines, qui nunc Franci nominantur. Eúmque Procopii locum Zonaras commemorat Annal. tom. 3. Itémque ille Flau. Vopisci locus, in vita Probi Imp. vbi scribit, Frãcos à Probo inuiis paludibus profligatos. Testes sunt, inquit, Franci inuiis strati paludibus. Item illud Sidonii Apollinaris,

Francorum & penitissimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris.

Iam verò quod de Chaucorum vicinitate diximus, ea planissimè ex collatione locorum, & vtrorúmq; sediũ descriptione, perspicitur. Chaucorũ quidẽ apud Plin. lib. 16. cap. 1: Frãcorum verò, apud illum Rhetorem Panegyristem. Nam Plin. quidem ita loquitur: Sunt in Septentrione visæ nobis Chaucorũ gen-

tes,qui maiores minoréſque appellantur. va-
ſto ibi meatu: bis dierum noctiúmque ſingu-
larum interuallis effuſus in immenſum agitur
Oceanus, æternam operiens rerum naturæ
controuerſiam: dubiúmque terræ ſit, an par-
te in maris. At Panegyriſtes: Quanquam, in
quit, illa regio diuinis expeditionibus tuis
Cæſar vindicata, atque purgata, quam obli-
quis meatibus callidis (ſic legendum vt in li-
bris vulgatis, non SCALDIS, vt quidam re-
poſuit) interfluit: quámque diuortio ſui Rhe
nus amplectitur, penè, vt verbi periculo lo-
quar, terra non eſt, ita penitus aquis imbuta
permaduit, vt non ſolùm quæ manifeſtè pa-
luſtris eſt, cedat ad nixum, & hauriat preſſa ve
ſtigium: verumetiam vbi paulò videtur fir-
mior, pedum pulſu tentata quatiatur: & ſen-
tire ſe procul mota pondus teſtetur. Patefa-
ctum igitur arbitramur eſſe locum vnde pro
pagata in Gallias Francorum natio eſt: palu-
ſtris videlicet ea regio, quæ inter Albin &
Rhenum Oceanum attingit. Quod eo etiam
argumento confirmari poteſt, quòd Franci
maritimarum rerum vſum maximum habe-
bant, latéque per eam oram vagabãtur. Nam
Eutrop. lib. 9. vbi Gallieni Imperatoris hiſto
riam percurrit: Poſt hæc tempora, inquit,
Carauſius cùm per tractum Belgicæ & Ar-
moricæ pacandũ mare accepiſſet, quod Frã-
ci

ci & Saxones infeſtabant. Qua eadem de re
Paulus quoque Oroſius lib. 7. commemorat.
Eodem pertinet alter in illo, quẽ aliquoties
iam protulimus, Panegyrico, locus, vbi Rhe
tor ita loquitur: Franci, inquit, præter cæte-
ros truces, quorum vis cùm ad bellum effer-
ueſceret, vltra ipſum Oceanum æſtu furoris
euecta, Hiſpanorum etiam oras armis infe-
ſtas habebat. Itaque Iuſtinianus Imper. vbi
Præfecti prætorio Africæ officium exponit,
mentionem facit Francorũ, qui in parte qua
dam Galliæ, finitima Hiſpaniæ conſederant.
Memorabile eſt autem, & ad bellicæ laudis
gloriam inſigne, quod alio Panegyrici loco
narratur, exiguas Francorum copias, quos
Imper. Probus bello ſuperatos in Pontum
captiuos abduxerat, nauibus aliquot interce-
ptis, vſque in Græciã & Aſiam vagatos eſſe,
Siciliam inuaſiſſe: Syracuſas cepiſſe: pòſt o-
nuſtos præda & ſpoliis per fretum Herculeũ
in Oceanum reuertiſſe. Recurſabat, inquit,
in animos, ſub Diuo Probo, & paucorum ex
Francis captiuorum incredibilis audacia, &
indigna felicitas: qui à Ponto vſque correp-
tis nauibus, Græciam, Aſiámque populati,
nec impunè pleriſque Libyæ littoribus ap-
pulſi, ipſas poſtremò naualibus quondam vi
ctoriis nobiles ceperant Syracuſas: & immen
ſo itinere permenſi Oceanum, quà terras ru-

pit, intrauerant: atque ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi, quò nauigiis pateret acceſſus. Et ad hanc diſputationem ea quoque auctorũ loca referenda ſunt, ex quibus intelligitur, Frãcorum ſedes Batauorum finibus propinquas fuiſſe. Nam Rhetor ille Maximianum & Conſtantinum alloquens: Multa, inquit, ille Francorum millia, qui Batauiam aliáſque cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit, depulit, abduxit. Præterea inſignis extat locus apud Corn. Tacit. in lib. 20. vbi de Batauiæ & Friſiæ vicinitate commemorãs, Caninefates quoque admiſcet, quorũ eam ſcribit conſuetudinem in Rege creando fuiſſe, quam poſteriùs verè Francicam fuiſſe oſtendemus. Miſsi, inquit, ad Caninefates, qui cõſilia ſociarent. Ea gens partem inſulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis: numero ſuperantur. Et mox: Brinnio impoſitus ſcuto, more gentis, & ſuſtinentium humeris vibratus, Dux deligitur. Quæ verba haud exigui eſſe ad noſtram diſputationem momenti, poſteriùs cùm ad eum locum ventum erit, intelligetur. Quæ cùm ita ſe habeant, ſatis equidem admirari Ad. Turnebi doctiſsimi viri iudicium non poſſum, qui tam multis veterum auctorum locis pro nihilo habitis, ſcripſit, videri ſibi Francos ex Scandina-

uia oriundos: propterea quod apud Ptolemæum in illa inſula Phiraſsi collocantur. Quam vocem corruptam, & FRANCI reponendum cenſet. Neque tamen præter meram diuinationem vllam huius opinionis ſuæ rationem affert: quæ tamen opinio à veterum ſcriptorum omnium auctoritatibus apertiſsimè diſsidet. De cæteris verò propè omnibus, qui fabulis delectati, Francorum originem ad Troianos & Priami filium Frãcionem neſcio quem retulerunt, tantùm dicimus Poëtis illos, non hiſtoricis ſcribendi argumentum præbuiſſe: eóque in numero primum meritò locum Guilielmo Bellayo tribuimus: qui cùm omnium optimarum artium doctrina, ſummáque ingenii laude præſtaret, tamen in libello de Galliæ & Franciæ antiquitatibus, non Francogallicæ hiſtoriæ, ſed Amadiſicarum fabularum inſtituiſſe tractationem videtur.

¶De Francorum nomine, variiſque excurſionibus, & quo tempore regnum ſibi in Gallia conſtituerint.

CAP. V.

SED ratio poſtulat, vt de hoc Frãcorum nomine paulò attentius conſideremus: quod nuſquam in Germaniæ deſcriptione reperiri ſuperiùs diximus. Ne diutius teneam, neceſ-

se est vel Francorum gentem tenuem obscurámque fuisse, à qua tamen tantarum rerum gerendarum initia nata sunt (quemadmodum in Suittis tenuissimo Heluetiorum pago vsuuenit, à quo cùm recuperandæ libertatis auctores orti primùm fuissent, Suicerorũ nomen in Heluetios omnes propagatum est; vel, quod mihi verisimilius videtur, fictam ex re & occasione appellationem fuisse: cùm ii, qui se libertatis recuperandæ principes atque auctores profiterentur, Francos se nominassent: qua voce liberos, & seruitutis expertes, apud Germanos intelligi, satis inter eruditos & literatos Germanos constare video. indéque Francũ populari lingua, pro libero & immuni: & Francisiam, pro asylo vsurpamus: & Francisare, pro in libertatem asserere. Eius autem rei primum argumentum est, quod Procopius lib. Gott. bell. 1. memoriæ prodidit, Francos antiquitus generali nomine Germanos appellatos fuisse. pòst verò quàm è finibus suis excesserunt, Francorum nomen obtinuisse. In eadem sententia video & Gregorium Turonẽsem, & Abbatem Vrspergensem, & Sigebertum, & Adonem Viennensem, & Godfridum Viterbiensem esse. vt Franci à libertate, & (vt illi ad vocem illam alludentes scribunt) à ferocitate nomen inuenerint: quòd Valentiniano Imper. stipendiarii

diarii esse, tributúmque aliarum nationum more, pendere recusarẽt. Alterum est, quod Corn. Tacitus libro 20. vbi de Caninefatibus loquitur (quos Francorum finitimos, vel potius populares, atque adeò Francos ipsos natiuos fuisse ostendimus) eorúmque primam aduersus Romanos victoriam describit, his vtitur verbis: Clara ea victoria in præsens, in posterum vsui: armáque & naues quibus indigebant adepti, magna per Germanias Galliásque fama, LIBERTATIS AVCTORES celebrabantur. Germaniæ statim misere legatos, auxilia offerentes. Valeat igitur omen, vt Franci verè propriéque dicantur, qui Tyrannorum seruitute depulsa, honestam, etiam sub Regum auctoritate, libertatem sibi retinendam putarunt. Non enim Regi parere, seruitus est: neque qui Regi parent, cõtinuò serui habendi sunt: sed qui Tyranni libidini, aut latroni, aut carnifici, tanquam pecudes lanioni sese subiiciunt, ii demum vilissimo seruorum nomine appellandi sunt. Itaque Reges semper Franci habuerunt, etiam tum, cùm assertores se ac vindices libertatis profitebantur: & cùm sibi Reges constituerunt, non tyrannos aut carnifices, sed libertatis suæ custodes, præfectos, tutores sibi constituerũt. quemadmodum ex Frãcogallicæ Reipublicæ forma po-

ſteriùs intelligetur. Nam quæ Iohãnes Turpinus neſcio quis, monachus certè ſtolidus atque imperitus, qui Caroli Magni, non vitam, ſed fabulam conſcripſit, de Francorum vocabulo nugatur, vt qui pecuniam ad Dionyſianum templum ædificandum contuliſſet Francus, id eſt, liber diceretur: quaſi Regis illius Caroli tempore demum natum ſit: ne memoratu quidem dignum eſt: non magis quàm reliqua illius omnia, fabulis anilibus ac deliriis referta. Nunc illud veriſsimè dici ac prædicari poteſt, omen Frãcorum nominis, hoc eſt (vt Corn. Tacitus interpretatur) auctorum libertatis ita fauſtum, felix fortunatúmque fuiſſe, vt ex eo victoriæ prope innumerabiles conſecutæ ſint. Nam poſteaquam illo conſilio Franci è ſuis finibus exceſſerunt, non modò Germaniam, patriam cõmunem, verumetiam Galliam, ad extremum etiam Alpes tranſgreſsi, partem Italiæ non mediocrem à Romanorum tyrannide liberarunt. Prima autem & antiquiſsima huius illuſtriſsimi nominis mentio reperitur apud Trebellium Pollionem in vita Imper. Gallieni, hoc eſt, circiter annum Chriſtianæ ſalutis CCLX. Cùm ludibriis (inquit de Gallieno loquens) & helluationi vacaret, neque aliter Rempublicam regeret, quàm cùm pueri fingunt per ludibria poteſtates, Galli,

Galli, quibus inſitum eſt luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſtumum ad imperium vocarunt: qui tum Gallieni legatus Galliæ cum imperio præerat. Et paulò poſt: Contra Poſtumum igitur Gallienus bellum incœpit, & cum multis auxiliis Poſtumus iuuaretur, Celticis, ac Francicis, in bellum cum Victorino proceſsit. Quibus ex verbis intelligitur, Gallos ad depellendam Gallieni Tyranni ſeruitutem, Francorum, id eſt auctorum libertatis, auxiliis vſos fuiſſe. Quod idem breuiter Zonaras ſignificans in Gallieni vita, ἐπολέμισε δὲ, inquit, φράγγοις, &c. Altera eorundem mentio rurſus occurrit apud Flauium Vopiſcum, in Aureliani vita, his verbis: Apud Moguntiacum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cùm vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, vt trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis, ſub corona vẽdiderit. Non enim Franci noſtri in illo bello non magis quàm alii in aliis, quantumuis iuſtis, ſemper ſecundos prælıorum euentus habuerunt. Quinetiam à Conſtantino, qui poſtea Magnus dictus eſt, duo ipſorum Reges capti, & beſtiis in ſpectaculo quodam obiecti memorantur. quam hiſtoriam Eutrop. libr. 9. & Rhetor in Panegyrico, quem ſuperiùs aliquoties protulimus, attingunt.

Et quoniam alio loco de bellis in Batauorũ finibus gestis idem Rhetor commemorat, quos à nostris non longè abfuisse ostendimus, verba eius subscribemus. Multa, inquit Rhetor, Francorum millia qui Batauiam, aliásque cis Rhenum terras inuaserãt, interfecit,depulit,abduxit. Et alio loco: Terram Batauorum sub ipso quondam alumno suo à diuersis Francorum Regum gentibus occupatam omni hoste purgauit: nec contentus vicisse,ipsos in Romanas transtulit nationes: vt non solùm arma, sed & feritatem ponere cogerentur. Quo ex loco non obscurè intelligitur, Constantinum Francorum vi atque armis coactum, sedes illis in Romani imperii finibus concessisse. Quinetiam Ammianus libro 15. scribit, Francos exorto inter Constantinum & Licinium ciuili bello, pro Constantini partibus sæpenumero fortiter decertasse. Sed & alio eiusdem libri loco, imperante Constantino, Constantini filio, Francos in regia quamplurimos fuisse memorat, magnáque apud Cæsarem in gratia atque auctoritate fuisse. Post hæc, inquit, Malarichus subitò nactus, adhibitis Francis, quorum ea tempestate in palatio multitudo florebat. Iam verò imperante Iuliano, qui Apostata dictus est, iidem Franci Coloniam Agrippinam Romanorum seruitute oppressam

in libertatẽ vindicare conati sunt: eámque longa obsidione pressam deditionem facere coegerunt: quemadmodum idem Ammianus lib. 12. commemorat. Cúmque ad flumen Salam aliquot è Francis consedissent, ea re, Salii dicti sunt: de quibus idem Ammianus eodem libro: Quibus paratis, inquit, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellauit: ausos olim in Romano solo, apud Toxiandriã locum, habitacula sibi figere prælicenter. Rursus libro 20. Regionem à Francis vltra Rhenum occupatam, & Franciam dictam, commemorat. Rheno inquit, transmisso, regionem subitò peruasit Francorũ, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percursantiũ extima Galliarum. Et lib. 30. vbi de Rege Macriano loquitur, quo cum Valentinianus Imper. ad ripam Rheni, prope Moguntiacum pacem fecerat: Periit autem, inquit, in Francia, postquam dum internecinè vastando perrumpit auidius, oppetiit Mellobaudis bellicosi Regis insidiis circumuentus. Hunc autem Francorum Regem Mellobaudem idem auctor lib. seq. fortem & bellicosum fuisse scribit, & ob virtutem militarem ab Imp. Gratiano Comitem domesticorum, & Legatum cum Nannieno factum fuisse, vt exercitum aduer

ſus Lentiates Germanos educeret. Poſt verò imperante Honorio propter pactam cum illo Imperatore ſocietatem, Galliæ Romanæ fines aduerſus Stiliconem tutati ſunt. Nã Oroſius libro vltimo. Excitatæ, inquit, per Stiliconem gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ Francos proterunt, Rhenúmque tranſeunt, Gallias inuadunt. Poſt Honorii Imperat. ætatẽ perexigua de Francorum rebus geſtis extat memoria. nam ad illa tempora referendum eſt, quod D. Ambroſius epiſtola 29. ad Imp. Theodoſium ſcribit, Francos & in Sicilia & aliis locis com pluribus Maximum Romana rum copiarum ducem ſuperaſſe. Ille igitur, (inquit, de Maximo commemorans) ſtatim à Francis, & à Saxonum gente, in Sicilia, Siciæ, Petauione, vbique denique terrarum victus eſt. Verùm imperante Valentiniano III. hoc eſt, circiter annum ſalutis Chriſtianæ, 450. illud auctorum omnium conſenſu conſtat, Childericum Merouei Francorum regis filium poſt annorum amplius ducentorum contentionem, Galliam è Romanorum ſeruitute in libertatem vindicaſſe: in eaque Regni ſui ſedem primum certam ſtabilémque conſtituiſſe. Nam etſi nonnulli primos Francorum Reges Pharamundum & Clodiocrinitum numerant: tamen nemini

dubium

dubium eſt, alios antea complures Francorum Reges fuiſſe, qui etiam tranſmiſſo Rheno in Galliam irruperunt: quorum nemo pacatum in Galliæ finibus imperium obtinuerit. Meroueus autem, quem vulgò tertium numerant, Francorum quidem Rex fuit: ſed aduena, & peregrinus, non in Gallia factus, non denique Francogallorum, hoc eſt gemellæ & conſociatæ gentis iudicio & voluntate creatus. Francorum denique Reges illi omnes fuerunt: non Francogallorum. Primus Childericus Merouei (vt diximus) filius à Francis & Gallis, publico gemellæ gentis concilio, Rex Francogalliæ creatus eſt: poſteaquam Meroueus pater, Attilino prælio interfectus eſt: imperante Valentiniano tertio, perdito ac libidinoſo principe. Quo tempore Angli & Scoti, Britanniam: Burgundi Sequanorum, AEduorum, & Allobrogum fines: Gotti Aquitaniam: Vvandali Africam, atque Italiam, vrbémque ipſam Romam occupabant. Hunni verò, Attila duce, Galliam cædibus atque incendiis vaſtabant. Hic cùm exercitum haberet hominum circiter quingentorum millium, latè per Galliam, Tholoſam vſque vagatus eſt. Erat tum Galliæ Præſes AEtius qui Attilæ potentiam veritus, Gottos ſibi fœdere ac ſocietate adiunxerat. Horum au-

xiliis inſtructus, prælium cum Attila commiſit: cecidiſſéque dicuntur eo prælio non minus centum & octoginta hominum millibus. At victor AEtius, cùm apud Imperatorem Valentinianum in regni appetendi ſuſpicionem adductus eſſet, ipſius iuſſu necatus eſt. Aliquantò pòſt Imperator ipſe quoque opera Maximi, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, eſt interfectus. Quam rei gerendæ facultatem Meroueus Francorum Rex non aſpernatus, magnis coniunctis copiis, Rhenū tranſmiſit, ciuitatibúſque compluribus ad eum recuperandæ libertatis cauſſa confugientibus, tandem interiores Celtarum vrbes occupauit. Eo mortuo, vnáq; iam è duabus Gallorum & Francorum gentibus ciuitate facta, vniuerſi coniunctis animis Childericum Merouei filium Regem ſibi deligunt: ſcutóque de more impoſitum, atque in humeros ſublatum, ter circum comitia deportant: & plauſu vndique excitato, ſummíſque omnium gratulationibus, Regem Francogalliæ conſalutant. Quarum rerum omnium auctores habemus Sidonium Apollinarem, Gregorium Turonenſem, Ottonem Friſingenſem, Aimoinum, & cæteros: quorum teſtimonia, nec ita multò pòſt, vbi de Regis inaugurandi more dicendum erit, proferemus. De vrbium quidē occupatione, Otton. lib. 4.

cap.

cap. pen. verba hæc ſunt: Franci Rheno trāſmiſſo, Romanos qui ibi habitabant, primò fugant, pòſt captis Tornaco & Cameraco, Galliæ vrbibus, ac inde paulatim progrediētes, Rhemos, Sueſsionem, Aurelianum, Agrippinam, Treuerim ſubiugant. Atque hæc quidem de primo Francogalliæ Rege, ſummatim: quibus illud ſubiūgendum eſt: Cùm hoc Francogalliæ Regnum annos ferè mille ducentos durarit, tres tantùm per id omne tempus Regum familias numerari: Merouingiorum, qui orti à Meroueo ſtirpem ad annos ducentos octoginta tres propagarunt: Carlouingiorum, qui orti à Carolo Magno, ſobolem in annos trecentos triginta ſeptem produxerunt: & Capeuingiorum, qui ab Hugone Capetto prognati, quingenteſimo iam & octogeſimo anno Regnum obtinent.

¶Regnum Francogalliæ vtrùm hæreditate, an ſuffragiis deferretur, & de Regum creandorum more.

CAP. VI.

SED hoc loco præclara quæſtio exoritur, & ad maiorum ſapientiam cognoſcendam aptiſsima, vtrum Francogalliæ regnum he-

reditario iure, an verò populi iudicio & suffragiis deferretur. Germaniæ quidem Reges (quo ex genere Francos nostros fuisse, superiùs demonstratum est) suffragiis creari solitos, Cornelius Tacitus in libello de moribus Germanorum testatur. Reges, inquit, ex nobilitate, Duces ex virtute sumũt. Quod institutum etiam nunc Germani, & Dani, & Sueui, & Poloni retinent: vt Reges quidem in concilio gentis eligant, filii tamen prærogatiuam habeant: & (vt Tacitus memoriæ prodidit) cæteris præferantur. Quo instituto, haud scio, an quicquam sapientius aut Reipublic. salutarius excogitari potuerit. Nam (vt Plutarchus in Sylla luculenter monet) quemadmodum venatores non quod ex generoso cane natum est, sed canem ipsum generosum quærunt: equites non quod ex equo generosissimo natum, sed equum ipsum expetunt: eodem modo qui Rempublicam constituunt, magno errore ducuntur, si quis Princeps sibi agnaturus sit, potius quàm qualem habituri sint, exquirant. Atque hanc maiorum nostrorum in Francogalliæ regno constituendo sapientiam fuisse, documento est, primùm Caroli Magni testamentum, apud Ioan. Nauclerum, & Henric. Mutium editum, in quo clausula hæc extat: Quòd si filius cuilibet horum

rum

rum trium filiorum meorum natus fuerit, quem populus eligere velit, vt patri suo in Regni hæreditate succedat, volumus vt consentiant patrui ipsius: & regnare permittant filium fratris sui in portione Regni paterni. Item illud quod Aimonius libro 1. capite 4. de Pharamundo, quem vulgò (vt dixi) primũ Francorum Regem numerant, ita loquitur: Regem verò cæterarũ more nationum Frãci sibi eligentes, Pharamundum solio sublimant regio. & libro quarto, capite 51. Franci autem Danielem quendam clericum, cæsarie capitis crescente, in regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Item libro quarto, capite 67: Mortuo Rege Pipino filii eius Carolus & Carolomannus consensu omnium Francorum Reges creati sunt. Et alio loco: Mortuo Pipino, Franci facto solenniter conuentu, ambos sibi eius filios Reges constituunt, ea conditione præmissa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur. Et rursus post alterius è vita excessum: Carolus autem fratre defuncto consensu omnium Francorum Rex constituitur. Item sub finem historiæ Caroli Magni: Euocatum ad se Ludouicum Aquitaniæ Regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum consilio

consortem sibi totius Regni & Imperialis nominis hæredem constituit. Atque hæc quidem ex Aimoino. Similia autem apud Gregorium Turonensem testimonia complura extāt, è quibus pauca hæc proferemus. Nam lib.2.cap.12. Franci, inquit, eiecto Childerico Eudonem sibi vnanimiter Regem asciscunt. Item lib.4. cap 51. Tunc Franci qui quondam ad Childebertum aspexerant seniorem, ad Sigebertum legationem mittunt: vt ad eos veniēs derelicto Chilperico, ipsum per se Regem stabilirent. Et aliquantò post: Collectus est ad eum omnis exercitus: impositúmque super clypeo sibi Regem statuunt. Item alio loco: Sigebertus Francis consentiens, more gentis impositus clypeo Rex cōstitutus est, ac Regnum fratris sui Chilperici adeptus. Et non ita multò post: Burgundiones & Austrasii cum reliquis Francis pace facta, Clotharium in tribus totis Regnis super se Regem leuauerunt. Quod idem Abbas Vrspergensis confirmat. Burgundiones, inquit, & Austrasii facta pace cum Francis Clotharium in monarchia totius Regni Regem sublimauerunt. Et paulò post: Franci alterum eius fratrem Hildericum, qui Austrasiis iam imperabat, super se Regem constituunt. Eodem pertinet quod Luitprandus Leuita Ticinensis lib.1.cap.6. ita scribit: Cúm-

Cúmque Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuntii ei occurrunt, se redire nuntiantes: eo quòd longa expectatione fatigati, cùm sine Rege diutius esse non possent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occasione Francos Vvidonem sibi Regem non assumpsisse, &c. Sed de hoc Odone memorabilis Sigeberti narratio est, ex qua planius etiam de Regis filio repudiato, & alieno ascito cognoscitur. Nam sub anno 890. ita loquitur: Franci verò neglecto Carolo Ludouici Balbi puero, vix decenni, Regem sibi præficiunt Odonem filium Roberti Ducis, quem à Normannis occisum suprà diximus. Item Otto Frising. Chronic. libro sexto, capite decimo: Occidentales, inquit, Franci, Odonem Roberti filium virum fortem, consensu Arnolphi Regem creant. Itaque in Appendice Gregor. Turon. libro decimoquinto, capite 30: Post Dagoberti decessum filius suus Clodoueus sub tenera ætate regnum patris asciuit. omnésque leudes (id est subiecti) eum in Masolano villa sublimant in regnum. Item Sigebert. in Chronic. anno 987. Ludouico Francorum Rege mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Carolum fratrem Lotharii Regis, dum ille rem ad concilium de-

fert, regnum Francorum vſurpat Hugo,&c. Multa eiuſdem generis apud Adonem teſtimonia ſunt. velut anno 686: Clodoueus Rex deceſsit: Franci Clotarium filium eius Regem conſtituunt. Ex mox: Clotarius quatuor annos regnans obiit: cuius loco Franci Theodericum fratrem eius erigunt. Item anno 669: Franci Danielem quendam clericũ poſt abiectionem tonſuræ in regno ſtabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Et mox: Franci Theodericum Dagoberti filiũ Regem ſuper ſe conſtituunt. Item apud Ottonem Friſing. Chron.6.cap.13. Ottone, inquit, Francorum Rege mortuo, Carolus voluntate omnium rex creatur. Item Appendix Gregor. Turon. libr.11.cap. 101. Mortuo Theodorico Rege, Franci Clodoueum filium eius paruulum elegerunt in regnum. Et capite 106: Franci verò Chilpericum quendam Regem conſtituerunt. Item Godfrid. Viterb. Chron. parte 17. capite 4: Pipinus verò per Papam Zachariam ex electione Francorum factus eſt Rex Francorum: Hildrico ignauo Rege per Francos in monaſterium miſſo. His ex locis, aliiſque ſimilibus quam plurimis patere arbitror, Reges Francogalliæ populi potius iudicio ac ſtudio, quàm hereditario iure conſtitutos fuiſſe, cuius rei magno etiam argumento eſt ritus, quo maiores

in

in Regibus inaugurandis vtebantur. Quod enim paulò ſuperius diximus, Corn. Tacitũ de Caninefatibus, Francorum popularibus, teſtari, vt deſignatum Regem ſcuto imponerent, ſublimémque humeris geſtarent: idem in Regibus noſtris vſurpatum animaduertimus. Nam qui populi ſuffragiis delectus fuerat, hunc ſcuto impoſitum ſubleuabant, humeríſque ſuſtentatum ter circum populi comitia, vel circum exercitum, plaudentibus atque acclamantibus vniuerſis, geſtabant. Gregor. libro ſecundo, vbi de Clodouei Regis electione commemorat: At illi, inquit, iſta audientes, plaudentes tàm palmis, quàm vocibus, eum clypeo euectum, ſuper ſe Regẽ conſtituunt. Item lib. ſeptimo, cap. decimo, vbi de Gondebaldo loquitur: Ibíque, inquit, parmæ ſuperpoſitus Rex eſt leuatus: ſed cùm tertiò gererent, cecidiſſe fertur. ita vt vix manibus circunſtantium ſuſtentari poſſet. Qua de re Aimoinus libro tertio, capite ſexto, ita ſcribit: Euocatum Gondobaldum more antiquorum Francorum Regem proclamãtes eſſe ſuũ, eleuauerũt eũ clypeo. cúmque tertio totum cum eo circuiſſẽt exercitũ, repentè ruens cum Rege vix à terra eleuari potuit. Item Ado Vien. A Etat.6. Sigebertus, inquit, Frãcis conſentiẽs more gẽtis impoſitus clypeo rex cõſtitutus eſt. Ac nimirũ

ex eo factum constat, vt scriptores illi vbi de Rege creato commemorant, libenter hanc locutionem vsurpent, vt cum in Regem eleuatum dicant. Sed nunc ad tertium huius disputationis argumentum accedendum est: vt intelligatur quantum in Regibus constituendis, retinendisve populi ius potestásque fuerit. siquidem ex omnibus nostris Annalibus constat, Regum abdicandorum summã potestatem penes populum fuisse. Cuius potestatis insigne documẽtum is qui primus Francogalliæ Rex creatus fuit, nobis præbet: quem cùm populus comperisset flagitiis ac libidini deditum, ætatem in stupris & scortationibus consumere, publico consilio remouerunt, Galliæque finibus excedere coegerunt. quod anno CCCCLXIX. factũ nostri testantur. quin etiam is quem ipsius in locũ suffecerunt, Eudo, cùm sua potentia ad superbiam & crudelitatem abuteretur, pari seueritate iudiciorum exauctoratus est. Cuius rei testes sunt Gregor. Turon. lib. 2. cap. 12. Aimoin. liber 1. cap. 7. Godfrid. Viterb. parte 17. cap. 1. Sigebert. sub anno 461. & 469. Childericus verò (inquit Gregorius) cùm esset nimia in luxuria dissolutus, & regnaret super Francorum gentẽ, cœpit filias eorum stuprosè detrahere. Illique ob hoc indignantes de regno eum eiiciunt. Comperto autem,

Regum abdicatio

autem, quod etiam eum interficere vellent, Thoringiam petiit. Abbas autem Vrspergensis: Quem (inquit) luxuriosè viuentem, & cum filiabus populi fornicantem, interficere nolentes, abiecerunt. Et Sigebertus: Hildericum (inquit) insolenter & luxuriosè se agentem, Franci de regno deturbant: & AEgidium Regem sibi præficiunt. Atque hoc quidem præclarum ac singulare maiorũ nostrorum facinus eò diligentius notandum est, quod in primordiis ac propè incunabulis regni gestum, quasi quædam testificatio fuisse videtur ac denuntiatio, Reges in Francogallia certis legibus creari: non Tyrannos cum imperio soluto, libero, & infinito constitui. Itaque cùm hoc idem institutum posteri retinerent, anno DCLXXIX: Childericum Regem vndecimum insolẽtius se in imperio gerentem abdicarunt: cúmque nobilem quendam, nomine Bodilonem ad palum alligari, atque indicta caussa virgis cædi iussisset, ab eodẽ Bodilone paucis post diebus interfectus est: auctoribus Aimoino lib. 4. cap. 44. Adone, AEtate VI. Tritemio anno 678. itemque Sigeberto anno 667. Eiusdem modi Maiorum nostrorũ seueritas aliquantò post extitit aduersus Theodoricũ Regem XII: qui cùm iniquo & auaro imperio Regnum administraret, Franci (inquit

Aimoinus) ſuper eum inſurgunt, ac eum de regno eiiciunt, crinéſque capitis eius vi abſtrahentes incidunt. lib.4.cap. 44. Ado ætat. VI. anno 696, Sigebertus autem ſub anno DCLXVII, magnam illius culpæ partē in præfectum Regium Ebroinum conferunt. Theodoricus, inquit, Rex propter inſolentiam Ebroini à Francis repudiatur: & frater eius Hildericus à cunctis ad regnum euocatur Et Ado: Franci, inquit, Theodoricum de regno abiiciunt: Ebroinum Lexouio monaſterio tondent. Childericum ſuper ſe Regem leuant. Item appendix Gre. Turon. lib. II. cap. 64: Franci contra Theodoricum inſurgunt: eúmque à regno deiiciunt. crines capitis eius abſcindentes totonderūt: Ebroinumque ipſum tondent. Similis eorumdem virtus extitit in Chilperico Rege XVIII. quē cùm propter inertiam tanto imperio indignum cenſuiſſent, Regno ſe abdicare coegerunt: atque in monachatum redegerunt: auctoribus Aimoino libro 4 cap. 61. Sigeberto & Tritemio anno 750: & Godfrid. Chro. part. 17. cap. 4 Sextum rurſus eiuſdem ſeueritatis exemplum extitit in Carolo Craſſo Rege XXV: quem propter ſimilem ignauiam, & quod Nortmannis Galliæ partem conceſſiſſet, Regnúmque imminui paſſus eſſet, ab optimatibus Regni (vt Sigebertus loquitur) repudiatus eſt: anno, vt idem ſcribit 890. quod idem Godfridus part. 17. teſtatur. ſed vberius Otto Friſing. Chron. 6. capite 9: vbi memorabile illud aſcribit: hunc cùm poſt Carolum Magnum inter omnes Reges Francorum maximæ fuerat auctoritatis, in breui ad tantam tenuitatem veniſſe, vt panis quoque egens, ab Arnolpho iam Rege facto ſtipendia miſerabiliter exigeret: ac ab ipſo paucos fiſcos gratanter ſuſciperet. vnde humanarum rerum ſtatus miſerrimus cognoſcitur. quòd is qui tam Orientalia quàm Occidentalia regna cum Romano ſuſceperat imperio, ad tantam poſtremò deiectionem venit, vt panis quoque egeret. Septimi etiam exēpli memoria extat in Odone Rege XXVI. quem cùm Franci repudiato Ludouici Balbi filio Carolo, Regem ſibi delegiſſent, quarto poſt anno in Aquitaniam amandarunt: ibíque conſidere iuſſerunt, eiúſque in locum Carolum eiuſdem Balbi filium ſuffecerunt: auctoribus Sigeberto ſub anno 894. Aimoino lib. 5. cap. 42. Godfrid. part. 17. In eundem quoque numerum aſcribitur Carolus Rex XXVII, propter ſtuporem ingenii, Simplex cognomento dictus: qui cùm ſtultitia ſua regnum peſſundaret, Lotharingiámque quam prius recuperauerat, amiſiſſet, captus, atque in carcerem coniectus eſt eiúſque in

locum Rodolphus ſuffectus. auctoribus Aimoino lib. 5. cap. 42. Sigebert. anno 926.

¶ Pluribus extantibus Regis demortui liberis, quid iuris in hereditate obſeruaretur.

CAP. VII.

ATQVE hæc quidem eò pertinent, vt doceamus, regnum Francogalliæ antiquitus non hereditatis iure, vt priuata patrimonia, ſed populi iudicio & ſuffragiis deferri ſolitum fuiſſe. quo minus illi relictum quæſtioni videtur loci, ſi plures Regis demortui liberi extarent, quæ in illorum iure ratio teneretur. Nam cùm penes populi Comitia, & publicum Gentis cōcilium non modò deferendi, verumetiam adimendi regni ſumma poteſtas eſſet, illud neceſſariò conſequitur, in eiuſdem arbitrio fuiſſe, vtrum omnibus æqualiter, an vni tantùm Regni ſucceſſionem deferret. Quanquā hoc loco quæſtio exoritur, ſi populus filio repudiato alium eligeret, ecquid tamen illi ad ſuam dignitatem tuendam relinqueretur. Quare intelligendum eſt, earum rerum quæ in Regis ditione ſunt, quatuor à Iuriſconſultis genera numerari: nimirum res (vt illi

loquuntur) Cæſaris, res fiſci, res publicas, & res priuatas. ac res quidem Cæſaris eæ dicuntur, quæ in priuato cuiuſque principis patrimonio ſunt: non quatenus eſt Princeps, ſed quatenus eſt Ludouicus, aut Lotharius, aut Dagobertus. Inſtitutis autem Gallicis, patrimonium hoc Regis dominium nominatur: quod ſine publico Gentis concilio alienari non poteſt. quemadmodum aliquatò poſt (vbi de Concilii auctoritate diſſeremus) intelligetur. Res verò fiſci dicuntur, quæ populi voluntate Regi partim ad tuendam dignitatem ſuam, partim ad vſus Reipublicæ repentinos attributæ ſunt. Publicas autem res Iuriſconſulti appellant, quæ in ipſius regni ac Reip. dominio poſitæ ſunt: priuatas verò, quæ in patris familias cuiuſque fortunis ac facultatibus numerantur. Ergo Rege patre demortuo, ſi ad extraneum regni hereditas deferatur, res quæ Regis, & (vt Iuriſconſulti loquuntur) ipſius patrimoniales fuerunt, & quas alienari ab ipſo non licere diximus, hereditatis iure liberis ipſius relinquuntur. Quæ verò regni & Reip. ipſius ſunt, quoniam regni pars ſunt, ad quem regnum defertur, ad eum quoque neceſſariò deferendæ ſunt. quanquam tuendæ liberorum dignitatis cauſſa, ratio poſtulat, vt Ducatus, & Comitatus illis in populi Comitiis aſſi-

gnentur: quemadmodū Otto Frising. Chro. 5.cap.9..& Godfridus Viterbiensis scribūt, Dagobertum Lotharii filium, Regem constitutum, fratri Heriberto vrbes & pagos aliquot propè Ligerim fruendos dedisse. quod idem Aimoinus lib.4,cap.17.commemorās, ita subiungit: Pactum cum ipso pepigit, vt priuato contentus habitu nil amplius de paterno sperare deberet regno. Item cap.61.de Pipino scribens, Grifonem fratrem, inquit, more Ducum x I I. comitatibus donauit. Atque huc illud pertinet quod Gregor. Turon.lib 7.cap.32.ita scribit: Misit Gondobaldus duos legatos ad Regem, cum virgis consecratis iuxta ritum Francorum, vt scilicet non contingerentur ab vllo. Et mox Gondobaldus dicit se filium esse patris nostri Regis Clotharii, & misit nos vt debitā portionem regni sui recipiat. Nunc vt ad propositam quæstionem redeamus, quantùm ad Regni successionem attinet: certum hac de re ius Francogalliæ nullum reperio, quippe cùm hereditaria, vt dixi, non esset. certis autem in patrimoniis nobilibus, quæ feuda nominantur, Otto Frising. lib. 2. cap 29. Mos est, inquit, in Burgūdia, qui penè in omnibus Galliæ prouinciis seruatur, quòd semper seniori fratri, eiúsque liberis, seu maribus, seu fœminis, paternæ hereditatis cedat auctoritas: ceteris

teris ad illum tanquam ad dominum respicientibus. Atq; hoc idem iuris in gente Francorū vniuersa multis verbis traditur à Petro de Vineis, lib. Epist. 6.epist.25.& aliis nonnullis locis. Sed in regni successione aliud iuris fuit. Nā memoriæ proditum est, antiquis temporibus persæpè Francogalliæ Regnum Rege mortuo non vni filio à populo attributum, sed in viriles partes diuisum, atque assignatū fuisse. Itaq; defuncto Clodoueo Rege secundo anno D X V. qui liberos I I I I. reliquerat, Theodoricum, Clodoueum, Childebertum, & Clotharium, satis constat, Regnum inter eos ita diuisum fuisse, vt Theodoricus Metarū, Clodoueus Aureliæ, Clotharius Suessionum, Childebertus Lutetiæ regnū obtineret: auctoribus Agathio lib. hist. 1. Greg. Turo. lib.3.cap.1. Aimoin. lib.2.cap. 1. Rheginone sub anno 421. Rursus post Clotharii Regis I I I I. excessum, Regnū inter quatuor ipsius filios ita partitū fuit, vt Cherebertus Lutetiæ, Guntrānus Aureliæ, Chilpericus Suessionū, Sigebertus Rhemorū regnum obtineret: auctoribus Greg. lib.4.cap. 22. Aimoin. lib.3.cap.1: Rheginone sub anno 498. Contra verò anno circiter D C X X X. mortuo Lothario Rege V I I. Otto Frising. Chro. 5. cap.9, & Godfrid. Viterb. ita scribūt: Dagobertus Chlotarii filius solus in

Francia regnabat, sed fratri suo Heriberto circa Ligerim fluuium, paucas vrbes & pagos dimiserat. à Clodoueo enim vsque ad id tempus regnum Francorum inter filios, filiorúmque filios, multifarié diuiso confusè regnatum est. Terminus autem Regni Francorum erat iam ab Hispania vsque Pannoniam. Dagobertus itaque vnicus Rex Francorum leges Bauaris dedit. Hæc Godefridus: neque, vt multi sapientes sæpe iudicarunt, iniuria. Nam (vt est apud Iustinum lib. 21) firmius est futurũ regnum, si penes vnum remanserit, quàm si portionibus inter plures frares diuidatur. Aliquot tamen interiectis annis, cùm Francorum Regnum longè latéque propagatũ esset, Pipino Rege mortuo, alia publico Gallorum cõcilio sententia placuit. quod valet ad confirmandum quod superius diximus, penes Concilii arbitrium, totum illud ius fuisse. Nam Eguinarthus in vita Caroli Magni, sic loquitur: Mortuo Pipino Franci facto solenniter generali conuentu ambos sibi eius filios Reges constituunt, ea conditione, vt totum Regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partẽ quam pater eorum Pipinus tenuit, Carolomannus eam cui patruus eorum præerat, regendam susciperet. Item Abbas Vrsperg. Mortuo Pipino, Carolus & Corolomanus filii eius, omnium

omnium Francorum consensu ambo Reges creati sunt, ea conditione, vt totum Regni corpus ex æquo partirentur. Simillima post Caroli Magni excessum in partiendo regno ratio fuit: queadmodum ex ipsius testamento apud Iohan. Nauclerum, & Eguinarthi libello de ipsius vita cognosci licet: vbi tota prope Europa inter tres ipsius filios ita diuiduntur, vt tamen filiabus nihil dotis, aut legitimæ portionis caussa tribuatur: sed earum collocandarum, dotísque constituendæ potestas summa fratrum fidei & prudentiæ permittatur. Eandem in Orientali Francia partitionem post Ludouici mortem anno DCCCLXXIIII fuisse, testatur Otto Frisingensis Chron. 6. cap. 6. & Rhegino in Chron. anno 877. Rursus annis aliquot interiectis, post Ludouici Balbi Regis XXII. excessum, anno DCCCLXXX, eadem quoque partiendi ratio seruata est: quam tamen non in Regum ipsorum, sed in publici Cõcilii arbitrio fuisse, facilè ex his Aimoini verbis cognosci licet lib. 5. cap. 40. Filii, inquit, Ludouici quondam Francorum Regis profecti sunt Ambianos, & sicut fideles eorum inuenerunt, Regnum paternum inter se diuiserunt. Ex quibus ita disputatis, perspicuum est, nullum antiquitus certum hac de re ius in Francogallia fuisse: sed totam eius

rei poteſtatem in publico Gentis cõcilio po ſitam fuiſſe. Poſtea verò Philippo III, Rege XLI. auctore cõſtitutum eſt, vt ditio aliqua minoribus fratribus attribueretur. ſed eius quoque iuris variæ interpretationes fuerũt, multæque natæ contentiones propter filiarum rationem: vt planè nihil certi hac de re tradi à nobis poſsit: niſi, ſi res ad antiquum Maiorum noſtrorum inſtitutum reuocetur, totum eius rei ius publico gentis Concilio committendum eſſe: vt pro liberorum numero certæ illis ditiones ad victum & cultum fruendæ attribuantur.

¶ De lege Salica, & iure mulierum in Regum parentum hereditatibus.

CAP. VIII.

QVoniam de Regalis hereditatis iure dicere inſtituimus, non prætermittenda legis Salicæ commemoratio videtur: quæ cùm aſſiduè noſtris hominibus in ore eſt, tum verò maiorum noſtrorum memoria maximam & periculoſam de regni ſucceſsione contentionem ſedauit. Nam cùm anno 1328. Rex Carolus Pulcher Philippi Pulchri filius moriẽs vxorem prægnantem reliquiſſet. paucis intermiſsis menſibus agnata filia, Eduardus Angliæ Rex, ex Iſabella Philippi Pulchri filia

filia Caroli Regis ſorore natus, hereditatẽ auiti Regni ad ſe pertinere contendit. At ex contrario Philippus Valeſius Regis Caroli Pulchri frater patruelis exortus eſt, qui diceret, antiquam eſſe legem Regiam, Salicam nominatam, qua lege mulieres à Regni hereditate arcerentur. Hanc porrò legem Gaguinus & eiuſdem generis ſcriptores à Pharamundo ſcriptam tradunt: Ad noſtram inquit, vſq; ætatem nominatiſsimam. Et in vita Philippi Valeſii: Eduardo, inquit, obſtabat lex Salica, quæ à Pharamundo Francis data in illos vſque dies obſeruantiſsima habebatur. Ea lege ſoli virilis ſexus Reges à maioribus Regibus orti Regnum adminiſtrant, nec ad eam dignitatem fœminæ admittuntur: cuius legis hæc ſententia eſt: Nulla hereditatis portio de terra Salica ad mulierem venito. Terram autem Salicam, Francorum Iureconſulti eam dicunt, quæ ſolius Regis eſt, & à lege Alodii diſtat, quæ ſubditos comprehendit: quibus datur per hanc legem rei alicuius liberum dominium, non excluſa Principis maieſtate. Hæc Gaguinus. In eadem autem ſententiã Francogalli omnes non modò Hiſtorici, verumetiam Iuriſconſulti & pragmatici vſque ad hoc tempus ſcripſerunt: teſte Paponio Areſt. lib. 4. cap. 1. vt iam error propemodum

ius fecisse videatur. Verùm illud meminisse oportet, quod superiùs attigimus, Francorũ duas sedes, duóque regna fuisse. Vnũ in Gallia, quod ad hunc vsque diem permansit: alterum vltra Rhenum ad flumen Salam: Vnde Salii & Salici Franci coniunctè, plerunque autem Salici præcisè appellati: quorum & regnum & iam propè nomen obsoletum est. De Saliis superiùs ex Ammiani Marc. historia dictum est, demõstratúmque illos Orientales, hos Occidentales appellatos fuisse. Quemadmodum autem duo Francorum regna fuerunt, ita duæ Francorum leges: Salica, quæ ad Salios: Francia, quæ ad Francogallos pertinebat. Eguinarth. in Carolo Magno: Post susceptum Imperiale nomen, cùm animaduerteret multa legib. populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuersas) cogitauit quæ deerant addere. Auctor præfationis in Legem Salicam: Gens Francorum inclita, antequam ad fidem catholicam conuerteretur, dictauit Salicam Legem per Proceres ipsius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores. Sunt autem electi de pluribus viri quatuor, Vvisogast, Arbogast, Salogast, & Vvindogast: qui per tres mallos (id est comitia) conuenientes, omnes caussarum origines solicitè discurrẽdo, tractãtes de singulis iudicium decre-

decreuerunt hoc modo. &c. Ac fere iisdem verbis vtitur Sigebertus in Chron. anni 422. Otto Frising. lib. 4. cap. pen. Leges quoque Vvisigastaldo & Salagasto auctoribus exhinc habere cœpere. Ab hoc Salagasto legẽ, quæ ex nomine eius Salica vsque hodie vocatur, inuentam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc vtuntur. Atque hæc quidem veteres Chronographi: ex quibus eorum errorem coargui licet, qui Salicam legem vel à sale, id est prudentia dictam, vel corruptam vocem tradiderunt, pro Gallicam: quo dici absurdius nihil potuit. Sed longè maiores ex eodem fonte nati sunt errores. Primùm quòd illis auctoribus creditum est, Salicam legem ad ius publicum ciuitatis atque imperii, & hereditariæ Regni successionis pertinuisse. Nam illius legis Salicæ tabulæ non multis abhinc annis repertæ & in lucem editæ sunt, ex quarum inscriptione cognoscitur eas primùm circiter ætatem Pharamundi Regis scriptas editásque fuisse: deinde omnia & Salicæ legis & Francicæ capita non de publico Regni & ciuitatis iure, sed de priuato tantùm constituta fuisse. In iis autem vnum hoc caput extat. tit. 62. De terra Salica in mulierem nulla portio hereditatis transit: sed hoc virilis sexus acquirit: hoc est, filii in ipsa hereditate succedunt. sed

vbi inter nepotes aut pronepotes poſt lon-
gum tempus de alode terræ contentio ſuſci-
tatur,non per ſtirpes, ſed per capita diuida-
tur. Cuius legis ſimilis extat apud Ripuarios
tit. 58. Itémque apud Anglios tit. 7. vbi tan-
tum abeſt,vt de Regnorum hereditatib ſan
ciatur,vt ne ad feudorum quidem,ſed tãtum
ad allodiorum ſucceſsiones eæ leges perti-
neant:quanquam dos quidem mulieribus ex
iiſdem allodiis aſsignabatur. Vtcunque ſit,
primùm illud conſtat, etſi nullum nec Sali-
cæ, nec Francicæ legis caput extet,quo mu-
lieres à Regni hereditate arceantur, tamen
inſtituta & mores gentis tanto ſeculorũ con
ſenſu conſeruatos legis ſcriptæ vim obtine-
re. Nam Childeberto tertio Rege mortuo,
duabus filiabus ſuperſtitibus,fratri eius Clo
thario regnum illis excluſis delatum eſt.Rur
ſus Chereberto quinto Rege mortuo tribus
filiabus ſuperſtitibus, Sigeberto ipſius fratri
ſucceſsio delata eſt.Item Gontranno Bur-
gundiæ & Aureliæ Rege mortuo, non Clo-
tildæ filiæ ipſius, ſed fratri Sigeberto regnũ
delatum eſt. Deinde multò conſideratius &
cautius Philippi Valeſii conſiliarios ex feu-
dali iure diſputaturos fuiſſe:quo iure feudo-
rum hereditates liberis poſteríſque virilis ſe
xus tantummodo deferuntur: neque ad eas
mulieres admittuntur. Vbi autẽ in ea ſtirpe,
in

in qua feudum verſatur, mares defecerunt,
tum ad alteram ſtirpem feudum reuocatur:
vt illo caſu acciderat.Quæ verò feuda depra
uato iure ad mulieres deferuntur,ea non pro
priè feuda, ſed feudaſtra potius appellanda
eſſe,aliis libris noſtris demonſtrauimus.

¶ De iure Regalis capillitii.

CAP. IX.

HOC loco non alienum videtur,
aliud Maiorum noſtrorum in-
ſtitutum commemorare,de Re-
gio capillitio : nam memoriæ
proditum eſt, ſingulare quoddam ius capil-
litii apud Maiores noſtros fuiſſe, vt qui Re-
ges à populo creati, aut regio genere pro-
gnati eſſent, comam alerent,eámque à fron-
te diſcriminatam, vnguentíſque delibutam,
decus atque inſigne regium,regiæque ſtirpis
haberent.reliqui ciues omnes quamuis illu-
ſtri loco nati, tamen capillitii ius non ha-
berent:ſed propter aſsiduos(vt credi par eſt)
in re militari labores, raſo vel detonſo ca-
pite incederent : quemadmodum de Iulio
Cæſare & pleriſque aliis Romanæ hiſtoriæ
commemorant. Aimoin.lib. 1. cap. 4: Re-
gem veró ceterarum more nationum Fran-
ci ſibi eligentes, Pharamundum ſolio ſubli-
mant

mant regio: cui filius succeſsit Clodiocrinitus. illo enim in tempore Francorum Reges criniti habebantur. Item lib. 3. cap. 61: Hic Gondoaldus more Regum à matre ſua enutritus (vti conſuetudo antiquis fuit Franciæ Regibus) capitis comam gerebat profuſam. Similiter Agathius lib. de bell. Goth. 1. vbi Clodoueum Regem noſtrum (quem tamen Clodamirum appellat) à Burgundionibus in bello captum commemorat: Vt primùm, inquit, ex equo lapſus eſt, Burgundiones conſpicati capillitium, quod illi à tergo propendebat, ducem eſſe hoſtium animaduerterũt. neque enim Francorum Regibus coma carere licet: ſed à pueris intonſi permanent, & profuſum capillitium, atque in tergum reiectum habent. Quinetiam multis ex locis licet animaduertere, maioribus noſtris in more fuiſſe, vt ſi cui vel Regnum abrogarent, vel adipiſcendi Regni ſpem adimerent, ei capillitium abſcinderent. Aimoinus illo eodem loco: Ille intuitus in eum, incidi eius præcepit capillos, hunc ſuum negans filium fuiſſe. Item: Iterum inciſis crinibus Coloniæ in cuſtodiã traditur, vnde fuga elapſus ſuccreſcentibus capillis, ad Narſetem tranſiens, &c. quam hiſtor. Gregor. Turonen. lib. 6. cap. 24. commemorat. Item cap. 44. vbi de Theodorico Rege loquitur: Franci, inquit,

quit, ſuper eum conſurgunt, ac eum de regno eiiciunt, crinéſque capitis eius vi abſtrahentes incidunt. Memorabilis autem ac potius horribilis hiſtoria extat apud Gregor. Turon. de Regina matre Crotilde, quæ duobus filiis caput abſcindi, quàm comam maluit. Locus eſt lib. 3. cap. 18. Mater noſtra (inquibat rex fratri ſuo) fratris noſtri filios ſecum retinuit, & vult eos regno donari. Communi conſilio pertractare oportet, quid de his fieri debeat: vtrùm inciſa cæſarie, vt reliqua plebs habeantur: an his interfectis regnum germani noſtri inter nos diuidatur. Et mox: Tunc miſere Archadium cum forcipe, atque euaginato gladio: qui veniens oſtendit Reginæ vtrunque, dicens: Voluntatẽ tuam, ô glorioſiſsima Regina, filii tui domini noſtri expetunt, quid de pueris agendum cenſeas: vtrùm inciſis crinibus eos viuere iubeas, an vtrúmque iugulari. Maluit autem illa interfectos videre, quàm tonſos. Quinetiam moris fuiſſe animaduerto, vt cùm Reges prælio decertarent, nodatum capillitium in galeam, quaſi criſtam erigerent: idque inſigne in præliis haberent. Itaque Aimoinus lib. 4. cap. 18: vbi de Dagoberti Regis cum Bertoaldo Saxonum Duce acerrimo prælio cõmemorat: Rex, inquit, enſe percuſſus in caput, deciſos cum parte galeæ crines patri per armi-

gerum mittit, vt sibi in auxilium properet. Huius autē instituti caussam cùm apud me considero, hanc ferè reperio, quòd cùm & Gallorum & Francorum nationes comatæ essent (item vt Sicambrorum, ac ferè regionum illarum institutum fuisse constat) maioribus nostris visum est, hoc proprium Regiæ dignitati decus atque insigne tribuere. Nam de Gallis quidem (vnde Comata Gallia dicta est) nemo mediocriter eruditus testimoniū quærit: memor præsertim illius Claudiani ex lib. in Ruffin. 2:

Inde truces flauo comitātur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascētes explorat gurgite Rhenus.

De Frācis autē, quos ex Chaucis, siue Chaycis ortos demōstrauimus, vel vnus ille ex Lucani primo locus, testimonio esse potest:

Et vos crinigeros bellis arcere Chaycos
Oppositi, petitis Romam &c.

Quod cùm ita esset, animaduertimus, exteros qui animo in nostros inimico essent, Reges capillatos nō modò cōtumelioso nomine Setatos appellasse: verùm cùm setæ leonum, equorū, & suum cōmunes essent, (qui omnes propterea Setosi & Setigeri appellantur) etiā ad suillas setas nominis contumeliā produxisse. Vnde & obscœna cōficta fabula,

& spurcū nomē τριχοραχάτων: de quo Georgius Cedrenus in historia ita scribit: ἐλέγοντο δὲ οἱ ἐκ τοῦ γένους ἐκείνου καταγόμενοι κριστάται, ὃ ἑρμηνεύεται τειχοραχάται. εἶχον γὰρ κατὰ τῆς ῥάχεως αὐτῶν τείχας ἐκφυομένας, ὡς χοῖροι: id est, Qui regio erant prognati genere, dicebātur Cristati, quod interpretatur Tergisetosi. Habebāt enim in spina dorsi pilos enascētes, quasi porci. Quē tamen locum mendosum ac deprauatū esse arbitror. ac pro Κειστάται vel reponendum Σετάται: vel vtrunque certè coniungendum: vt à nonnullis festiuè Cristati, propter erectum in galeam crinium flocculum, à maleuolis etiam contumeliosè Setati, vel Setigeri appellarentur. Quód si clausulam illam tam apertè Cedrenus nō apposuisset, & Cristatorum nomen retinendū fuisset, dicendi potius τειχοχαιρακάται fuissent: vt cuiuis perspicuum esse arbitror: pro, Crinibus insignes.

¶ Qualis Regni Francogallici constituendi forma fuerit.

CAP. X.

HIS ita breuiter expositis, deinceps qualis Regni Francogallici constituendi forma fuerit, exponēdum videtur. Ac superiùs quidem populum non modò creandi, verume-

tiam abdicandi Regis potestatē sibi omnem reseruasse, docuimus. Quam eandem regnandi formā constat Gallos nostros, priusquam in Romanorum potestatem redigerentur, habuisse: vt populus non minus (inquit Cæsar) in Regem, quàm Rex in populum imperii ac potestatis retineret. Quanquam non à Gallis, sed à Popularibus suis Germanis eā Reipub. constituendæ formam Francos nostros sumpsisse, consentaneum est: de quibus Tacitus in lib. de moribus Germ. ita scribit: Regibus non est infinita aut libera potestas. Hac autem formam nullam à Tyrānico dominatu remotiorem esse constat. Quinetiam è tribus tyrannidis notis, quas philosophi veteres indicarunt, nullam in Regni nostri forma constituenda licet animaduertere. Primum enim quantum ad coactū imperium, hoc est, vt Rex inuitis dominetur, docuimus iam antea, summam populi tum in deligēdis, tum in abdicandis Regibus potestatem fuisse. Quantum ad peregrinam corporis custodiam, quem secundam tyrannidis notam numerant, tantum abest, vt Frācogalliæ Reges peregrinis & alienigenis mercenariis ad præsidiariā cohortem vterentur, vt ne ciues quidem & indigenas ad corporis custodiam adhiberent. quippe cùm omnem in clientum suorum, fide & beneuolentia præsidii sui fiduciam

duciam

duciam collocarent. Cuius rei argumento est, quod Gregor. Turon. lib. 7. cap. 18. & Aimoinus lib. 3. cap. 63. scribunt, Regem Gontrannum ab homine quodam tenui Lutetiæ admonitum, vt insidias sibi à Faraulpho paratas vitaret: continuò se armis & custodiis muniuisse: vt nusquam, inquit Gregorius, ac ne ad loca quidem sacra, nisi vallatus armatis atque custodibus procederet. Quinetiam extat Ludouici cognomento Diui præclara historia, & ab illustri viro Ioanne Ionuillæo scripta, qui cū illo Rege perfamiliariter multos annos versatus est: qua in historia nullam planè satellitum, aut stipatorum, aut præsidiariæ cohortis mentionem licet animaduertere: sed tantum Ianitorum, quos populari lingua Husserios appellat. Quæ verò tertia tyrannidis nota numeratur, vt non ad ciuitatis & subiectorum, sed ad ipsius dominantis commodum atque arbitrium omnia referantur: paulo posterius docebimus, summā Regni Francogallici administrationem penes publicum solenne gentis concilium fuisse: quod posterior ætas Conuentum trium Statuum appellauit. Huius enim Regni status is fuit, quem Philosophi veteres, in his Plato & Aristoteles, quos Polybius imitatus est, optimum ac præstantissimum iudicarunt: nimirum qui è tribus generibus Regali, Opti-

mo, & Populari mixtus ac temperatus esset: quam Reipub. formam Cicero in suis de Repub. libris vnam ex omnibus comprobauit. Nam cum Regius & popularis dominatus natura inter se dissideant, adhiberi tertium aliquem oportet intermedium, & vtriusque communem, qui est Principum, siue Optimatum: qui propter splendorem generis & antiquitatem, ad Regiam dignitatem accedit: propter clientelam, & (vt vulgò loquimur) subiectionem à plebeio genere minus abhorret. Vnum enim eundémque cum plebe populi vniuersi Magistrum agnoscunt. De hac autem praeclara Reipub. temperatione insignis extat Ciceronis laudatio, ex Platonis de Republica libris expressa, quam propter singularem elegantiam subscribemus: Vt in fidibus, inquit, ac tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens: sic ex summis, & mediis, & infimis interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione ciuitas, consensu dissimillimorum concinit, & quae harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in ciuitate concordia: arctissimum

mum atque optimum in Repub. vinculum incolumitatis, quae sine iustitia nullo pacto esse potest. Hanc igitur mixtam è tribus generibus Reip. temperationem Maiores nostri secuti, sapientissimè constituerunt, vt quotannis publicum totius Regni concilium Kalend. Maii haberetur: quo in concilio de summis quibusque Reipub. negotiis communi Ordinum omnium consilio ageretur. Cuius instituti sapientia & vtilitas tribus maximè rebus cernitur. primùm quòd in magno prudentium numero, magnitudo consilii versatur: vt Salomoni & aliis sapientibus placuit. deinde quia libertatis pars est, quorum periculo res geritur, vt eorum consilio atque auctoritate administretur: &, quemadmodum vulgò dici solet, quod omnes tangit, ab omnibus approbetur. postremò vt qui apud Regem in magna potentia sunt, & magnis imperiis praesunt, eius concilii metu, in quo Ciuitatum postulata liberè audiuntur, in officio contineantur. Nam quod Regna quaedam vnius Regis arbitrio ac nutu gubernantur, rectissimè Aristoteles lib. Polit. 3. animaduertit, non hominum liberorum & lumine ingenii vtentium, sed pecudum potius & brutorum consilii expertium eam gubernationẽ esse. Sic enim se res habet, vt pecudes, non ab vno è suo gene-

re vt pueri aut adolescentes, non ab vno è suis æqualibus, sed à præstantiore aliquo reguntur: sic hominum multitudo non ab vno è suo numero, qui minus fortasse, quàm alii complures videret: sed à probatis delectisq; omnium consensu præstantioribus, & coniunctis consiliis, & quasi mēte ex multis conflata, regenda & gubernanda est. Nam quòd Senatum assiduum & ordinarium plerique habent Reges, cuius consilio in administranda Repub. sese vti dicunt, primùm aliud est Regni, aliud Regis consiliarium esse. Ille Reipub. vniuersæ, & in commune consulit: hic vnius hominis commodis atque vtilitatibus seruit. Deinde cùm illi Senatores assidui vel vno in loco, vel certè in aula Prīcipis perpetuò maneant, lōginquarum ciuitatum nosse, ac videre statum commodè non possunt. Præterea Regalis & aulicæ vitæ illecebris inducti, facilè ad libidinem dominandi, ad ambitionem, & opes amplificandas deprauantur: vt ad extremum non Regni, & Reip. cōsiliarii, sed Regis vnius assentatores, & ministri cupiditatum & Regiarum, & suarum quoque appareant. Qua de re extat insigne Imp. Aureliani elogium apud Fl. Vopiscum, quod subscribemus: Ego (inquit) à patre meo audiui, Diocletianum Principem, iam priuatum dixisse, nihil esse difficilius,

quā bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque: atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit. cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur. Facit iudices, quos fieri non oportet. Amouet à Repub. quos debebat retinere. quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc igitur incommoda maiores nostri in Repub. constituenda, tanquam scopulos vitantes, decreuerunt, Remp. communi omnium ordinum consilio gerendam esse: cuius consilii habendi caussa certo anni tempore Rex, & principes & delecti ex singulis prouinciis conuentum agerent. Quod idem institutum videmus etiam multis aliis in gentibus obseruatum fuisse. Primùm in Gallia nostra antiqua, quam superiùs ostendimus communi Delectorum Concilio administratam fuisse. sed quoniam de Regno instituta commemoratio est, satis constat antiquitus in Græcia Amphyctionum Concilium fuisse ab Rege Amphyctione (vt Suidas & alii testantur) Deucalionis filio institutū, vt è XII. Græciæ ciuitatibus certo anni tempore delecti ad Thermopylas conuenirent: ibique de Regni & Reip. summis rebus communi consilio deliberarent. qua de caussa

Cicero commune, Plinius Publicum illud Græciæ concilium appellat. Simillimā Germanorum in Imperio Germanico constituendo sapientiam fuisse apparet: vbi Imperator, Monarchiæ: Principes, Aristocratiæ: ciuitatum verò legati, Democratiæ speciem obtinent: neq; quicquam quod ad summam Reipub. Germanicæ pertinet, nisi in trium illorum ordinum conuentu constitutum sit, ratum & firmum habetur. Eodémque vetus illud & præclarum Lacedæmoniorum institutum pertinuit, vt Ephoros suis Regibus attribuerent, qui (quemadmodum Plato scribit) Regibus freni instar essent, quorúmque consilio atque auctoritate Reges Remp. administrarent. Quam eandem in insula Taprobane Regni rationem Plinius commemorat lib. 6. cap. 22. vt ei xxx. Rectores attribuerentur à populo, quorum consilio in gubernādā Rep. vteretur. ne si infinita Regibus in ciues potestas permitteretur, eodem loco ac numero suos ciues, quo vel mācipia vel pecudes haberent. Quinetiam eandem apud Anglos Regni administrandi formam esse, testis est Polyd. Verg. lib. Angl. Hist. 11. vbi sic scribit: Ante hæc tempora, (Regis autem Henrici 1. vitam exponit) Reges non consueuerant populi conuentum consultandi caussa, nisi perrarò facere. adeò vt ab Henrico

rico id institutum manasse, iure dici possit. quod tam altis defixum, vti etiam nunc, radicibus semper stetit, vt deinceps quicquid ad Remp. bene gerendam, eiúsque conseruationem deliberandum foret, illud ad concilium deferretur: & siquid aut Regis aut populi iussu decretum factúmque esset, id totum pro nihilo haberetur: nisi eiusmodi concilii auctoritate foret comprobatum. Ac ne imperitæ vulgi multitudinis, cuius proprium est nihil sapere, iudicio Concilium impediretur, certa lege exceptum fuit ab initio, qui ex Sacerdotum cœtu, quíve, quótve ex reliquo populo vocari deberent ad concilium. More Gallico vulgò Parlamētum appellant: quod vnusquisque Rex initio sui Regni habere solet: qui & deinde, quoties res postulat, suo arbitratu illud ipsum conuocat. Hæc Vergilius. Sed ex his gentium ferè omnium institutis nullum æquè insigne memoratur, vt illud Hispanorum: qui cum in communi Arragoniæ concilio Regem creant, rei memoriæque consignandæ caussa fabulam peragunt: hominémque inducunt, cui Iuris Arragonici nomen imponunt: quem Rege maiorem ac potentiorem esse communi populi decreto sanciūt, tandémq; Regem certis legibus & conditionibus creatū his affantur verbis, quæ propter eximiam ac planè singu-

Nota.

larem gentis illius in frenãdo Rege fortitudinem proferemus: NOS QVI VALEMOS TANTO COME VOS, Y PODEMOS MAS QVE VOS, VOS ELEGIMOS REY: CON ESTAS Y ESTAS CONDITIONES: INTRA VOS Y NOS, VN QVEMANDA MAS QVE VOS. Id est, Nos qui tanti sumus, quanti vos, & plusquam vos possumus, Regem vos eligimus his atque his conditionibus. Inter vos & nos vnus maiore cum imperio est, quàm vos. Quæ cùm ita se habeant, cùm, inquam, gentium ac nationum omnium commune hoc institutum semper fuerit, quæ quidem regio ac non tyrannico imperio vterentur, perspicuum est, non modò præclaram illam communis concilii habendi libertatem partem esse iuris gentium, verumetiam Reges qui malis artibus illam sacrosanctam libertatem opprimunt, quasi iuris gentium violatores, & humanæ societatis expertes iam non pro Regibus, sed pro tyrannis habendos esse. Verùm vt ad institutum redeamus, cùm illa, quam superius exposuimus forma, Respub. nostra maiorum instituto temperata è tribus generibus fuisset, constitutum est, vt quotannis, atque adeò quoties maior aliqua res

res

res incideret, solenne & publicum concilium indiceretur: quod propterea Trium Statuum Parlamentum appellatum est: cum eo vocabulo colloquium & conuentus hominum intelligeretur variis ex locis vnum in locum communi de re deliberandi caussa coeuntium. itaque colloquia inter hostes pacis aut induciarum caussa instituta semper in Chronicis nostris illo Parlamẽti nomine appellantur. Huic porro concilio Rex in aureo tribunali sedens, præerat: cui primùm Principes Regnique magistratus, tum inferiore loco Legati ex singulis ciuitatibus subsidebant: quos populari lingua Deputatos appellamus. Nam vbi dies Concilii venerat, Rex ea pompa in constitutum atrium deducebatur, quæ magis ad popularem moderationem, quàm ad Regalem magnificentiam accommodata videbatur. Quam etsi perditis hisce temporibus aulicis assentatoribus irrisui fore non dubitamus, tamen quoniam pietatis pars est, Maiorum sapiẽtia delectari, ex antiquis monimentis exponemus. Carpento igitur Rex in atrium vehebatur bubus tracto, quos auriga stimulo agebat. Vbi verò in atrium ac potius in Reip. sacrarium ventum erat, tum Principes Regem in aureo solio collocabant: reliquique (vt iam diximus) suo quisque loco atque ordine subsidebant.

Eóq; demum ſtatu atque ſacrario Regia Maieſtas dicebatur. cuius rei etiam nunc inſigne monimentum animaduertere licet in typo Regio, quod Sigillum Cācellariæ vulgò nominamus, vbi Rex non equo militari inſidens, aut triumphali more quadrigis inuehens, ſed togatus & coronatus ſedēs in ſolio, dextráque ſceptrum regale, ſiniſtra ſceptrum Iuſtitiæ tenens, ſolenníque concilio præſidens conſpicitur. Et profectò ita eſt, vt ibi demum Regalis maieſtas verè propriéque dicatur, vbi de ſumma Reipub. conſilium agitur: non, vt imperitum vulgus vſurpare ſolet, ſiue Rex ludat, ſiue ſaltet, ſiue cum mulierculis garriat, vt ſemper Maieſtatem Regiam nominet. Harum autem rerum omnium teſtimonia è multis pauca proferemus. Primum ex hiſtoria Eguinarthi qui Caroli Magni Cancellarius fuit, eiúſque vitam conſcripſit: Quocunque, inquit, eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis & bubulco ruſtico more agente trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad publicum populi ſui conuentum, qui annuatim ob Regni vtilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat. Quod idem totidem prope verbis Ioh. Nauclerus in Chronolog. Generat. 26. commemorat. Itémq; auctor Magni Chronici ſub initium vitæ Caroli Magni, fol. 77. Neque

verò

verò nimioperè admirandum id videtur, nam hunc temporum illorum morem fuiſſe, vt & Reges, & Reginæ, & Regii liberi bubus veherentur, argumento eſt etiam ille Gregorii Turo. locus lib. 3. cap. 26: Deuteria verò (hæc Childeberti Regis vxor erat) cernens filiam ſuam ex ſuperiori marito ſuſceptam, adultam valde eſſe, timens ne eam concupiſcens Rex ſibi adſumeret, in baſterna poſitam indomitis bobus coniunctis eam de ponte præcipitauit. Iam verò de Tribunali aureo Aimoinus libro 4. cap. 30. ita ſcribit, vbi de Rege Dagoberto commemorat: generale indixit PLACITVM, in loco nuncupato Bigargio: ad quod properè conuenientibus cunctis Franciæ Primoribus Kal. Maiis Rex ſolio reſidens aureo hoc apud eos habuit orationis exordium. Item cap. 41. vbi de Clodoueo Rege loquitur: Medius inter eos ſolio reſidens aureo hoc habuit orationis exordium. Item Sigebertus in Chron. anni 662: Frācorum (inquit) Regibus moris erat. Kal. Maii præſidere coram tota gente, & ſalutare, & ſalutari, obſequia & dona accipere. Quod Geor. Cedrenus totidem propè verbis ſic exponit: Κατὰ ᾗ τὸν Μάϊον μῆνα προσκαθέζεσθαι, ἐπὶ παντὸς τοῦ ἔθνους, καὶ προσκυνεῖν αὐτοῖς, καὶ ἀντιπροσκυνεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, δωροφορεῖσθαί·

τε κατὰ συνήθειαν, καὶ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς. Iam verò de popularium, qui ad Concilium conuenerant, auctoritate, testimonium hoc extat apud Aimoinum lib. 4. cap. 41. vbi de Clodoueo Secundo loquitur: Quanquam (inquit Rex) Francigenæ ciues, terreni nos cura principatus admoneat, publicis vos consultores rebus aduocare. Idem eodem lib. cap. 74. Aestatis initio in Saxoniã eundum, & ibi (vt in Francia quotannis solebat) generalem conuentum quotannis habuit. Item lib. 4. capite 13. vbi de Carolo Magno loquitur: Peracta venatione Aquisgrani, rediẽs generalem populi sui conuentum more solenni habuit. Ca. 116. Imperator autem duobus conuentibus habitis, vno apud Nouiomagum, altero apud Compendium in quo & annua dona suscepit. Item capite 117. Mense Augusto Vormaciam venit, atque habito generali conuentu & oblata sibi annua dona more solẽni suscepit, & legationes plurimas audiuit. Itẽ lib. 5. cap. 31: Generale PLACITVM Idib⁹ Iuniis in villa Duziaco tenuit: vbi & annua dona suscepit. Atq; hæc quidem de solenni Concilio, quod Historici & Galli & Germani deprauata Latini sermonis cõsuetudine modò Curiam, modò Conuentnm generalem, plerunque autem PLACITVM appellarunt. Greg. lib. 7. cap. 14.

Igitur aduenĩete PLACITO directi sunt à Childeberto rege, &c. Aimoin. libr. 4. cap. 109. Medio Mense Conuentus generales apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebrauit. Et mox: Eminuit in hoc PLACITO piissimi Imperatoris misericordia singularis. Nam moris fuit vt in illo Concilio munera vndique Regi mitterentur, quod & aliis multis locis traditur: quibus Concilium illud, Conuentus generalis appellatur. Aimoin. lib. 4. cap. 64: vbi de Pipino Rege loquitur: Coëgit vt promitterent se omnem voluntatem illius esse facturos, & annis singulis honoris caussa ad generalem conuentum equos trecentos pro munere daturos. Item cap. 85. Saxonum perfidiæ non immemor conuentum generalem trans Rhenum in villa Cuffenstein more solenni habuit. Iam verò Concilium illud alio quoque vocabulo, Curia dicebatur. vnde nata popularis locutio, cùm ad aulam & Regiã itur, vt iri ad Curiã dicatur: propterea quòd rarò ad Regem, nisi indicto cõcilio, & de magnis rebus, adibatur. Aimoin. libr. 5. cap. 50. Carolus, inquit, Danorum Regis filius Flandriæ Proceres quosdam iudicio Curiæ conuenienter petebat. Item cap. sequenti: Defuncto Henrico Romanorum Rege, in ea quæ maxima & generalis est habita Magun-

tiæ Curia. Item Otto Frising. libr. Frider. 1. cap. 40. Post hæc Princeps Bauariam ingreditur, ibique mense Februario generalē Curiam celebrauit. Item cap. 43. Conradus Romanorum Rex, Principes conuocans in oppido Orientalis Franciæ Francofurt generalem curiam celebrat.

¶ De sacrosancta publici Concilii auctoritate, & quibus de rebus in eo ageretur.

CAP. XI.

DEINCEPS locus postulat, vt quibus de rebus in solenni concilio ageretur, consideremus: Maiorúmque nostrorum in constituenda Reipub. sapientiam admiremur. Summatim autem has ferè obseruauimus. Primùm de creando vel abdicando Rege: tum de pace & bello, de legibus publicis: de summis honoribus, præfecturis, & procurationibus Reip. de asignanda patrimonii parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus constituenda: quod Germanico verbo Abannagium, quasi exclusoriam partem, appellarunt: denique de iis rebus omnibus, quæ vulgus etiam nunc Negotia Statuum populari verbo appellat: quoniam de nulla (vt dixi) Reip. parte nisi in statuum siue Ordinum cōcilio agi ius esset. Ac de

de creandis quidem aut abdicandis Regibus superiùs, tum ex Caroli Magni testamento, tum etiam ex aliis auctoribus satis multa testimonia protulimus. Neque tamen vnum illud prætermittemus, ex Aimoino lib. 5. cap. 17. vbi de Rege Carolo Caluo cōmemorat: Generali (inquit) conuentu in Carisiaco habito filium suum Carolum armis virilibus, id est, ense cinxit: corona Regali caput insigniuit, & Neustriam ei attribuit: Pipino, Aquitaniam. Iam de Regni procuratione, insigne illud testimonium apud eundem auctorem extat lib. 5. cap 35. vbi de eodem Carolo Caluo loquitur: Carolus (inquit) Romam proficiscens, Compendii Placitum generale Kal. Iunii habuit: vbi per Capitula, qualiter Regnum Franciæ filius suus Ludouicus cum fidelibus eius & Regni primoribus regeret, vsque dum ipse Roma rediret, ordinat. Idem eodem lib. cap. cap. 42. Cuius ætatem (de Carolo Simplice loquitur) Franciæ primores incongruam, vt erat, exercendæ dominationi arbitrati, consilium de summis ineunt rebus: Franci, Burgundiones, Aquitanienséfque proceres congregati in vnum, Odonem tutorem Caroli, Regnique elegere gubernatorem. Iam verò de legibus & constitutionibus, vel vnus ille Gaguini locus in vita Ludouici cognomento Sancti, testimonio esse po-

test: Cùm Parisium, inquit, Ludouicus venisset, conuentu generali habito, Rempubl. reformauit, statutis optimis legibus de iure à iudicibus dicendo, & de officiis non emendis &c. Porrò de summis honoribus, & præfecturis ad probatos viros deferendis, testimonium apud Aimoinum extat libro 5. cap. 36. vbi de Carolo Caluo loquitur: qui cùm ante inaugurationem Regni præfecturas arbitratu suo tribuisset, Proceres solenne Concilium indicere cœperunt, legatósque ad Regem mittere: neque prius Regem coronari passi sunt, quàm illorum Concilio atque auctoritate in illis mandandis magistratibus vsus esset: Regni primores, inquit, indignati, quia quibusdam honores dederat, sine illorũ consensu, & ob id aduersum ipsum conspirarunt, & conuentum suum in villam Vvitmarium conduxerunt: indéque legatos suos ad Ludouicum direxerunt. sed & Ludouicus legatos suos ad illos direxit, &c. Item Appendix Gregor. Turo. lib. 11. cap. 54: Eo anno, inquit, Clotharius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecassinis cõiungitur: cum eos solicitasset si vellent, mortuo iam Vvarnhario alium in eius honoris gradum sublimare: sed omnes vnanimiter denegantes, se nequaquam velle Maiorem domus eligere, Regis gratiam obnixè petentes, cum Rege transigere.

gere. Ad eundem numerum referendæ sunt Principum contentiones: quæ Reip. perniciosæ futuræ videbantur: de quibus in eodẽ illo Cõcilio disceptabatur. Nam Aimoinus lib. 4. cap. 1. vbi de Clothario Chilperici filio commemorat, à quo Brunechildis Austrasiæ Regnum postulabat, ita loquitur: Clotarius respondit, conuentum nobilium debere eam aggregare Francorum, & communi tractatu de communibus consulere rebus: se verò iudicio illorum in omnibus pariturum, nec præceptis promisit obstaturum. Quod idem Appendix Gregor. lib. 11. commemorans: Clotarius, inquit, respondebat, iudicio Francorum electorum quicquid procedente domino à Francis inter eosdem iudicabitur, pollicitum esse implere. Item Aimoinus lib. 5. cap. 12. vbi de Rege Ludouico Pio loquitur, quem filii contentionibus exagitabant: Cùm autem instaret Autumnalis tempéries, ii qui Imperatori contraria sentiebãt, alicubi in Francia conuentum fieri generalẽ volebant. Item cap. 13. in Theodonis villam conuenire generaliter suum populum præcepit. Et paulo pòst: Sed post paucum tempus idem ad festum sancti Martini populum conuocauit: filiúmque Pipinum fugientem ad se quoquomodo reuocare voluit. sed ille id refugiebat. Eadémque ipsa de re Gagui-

Rex n[r] suus

nus commemorans: At coniurati (inquit) cùm intelligerent absque procerum conuentu Regem se deiicere non posse, magnis viribus enituntur concilium in Francia habere. Repugnabat tamen Ludouicus, quòd sciret Francos ab inimicis aduersum se persuasos esse. Maguntiæ propterea conuentum indixit: mandátque neminem in concilio cum armis admitti. At ne publico auctoramento coniurati aduersus patrem filii destituerentur, coacto apud Compendium ex toto Regni Episcoporúmque Procerúmque concilio, Lotharius eductum de custodia patrem Compendium perduxit. Rursus Aimoinus libro quinto, capite 38. vbi de Rege Ludouico Balbo scribit, qui concilium Marsuæ agebat, & de pace cum suo consobrino referebat: In ipso quidem placito, inquit, hæc quæ sequuntur inter eos consensu fidelium suorum seruáda conuenerunt. Nũc cætera videamus. Nam illud præterea reperio moris fuisse, vt siquis Princeps atque illustriore loco natus criminis alicuius insimularetur, in iudicium ad illud concilium vocaretur, ibíque caussam dicere cogeretur. Itaque Regis Clotharii tempore cùm Brunechildis multorum capitalium criminum accusata & damnata est; Rex concilio Francogalliæ indicto ita cum ordinibus loquitur: apud

apud Aimoinum lib.4.cap.1. Vos dulcissimi commilitones, & præeminẽtes Franciæ primores, decernite cui subiaceat supplicio tanti obnoxia sceleris. Et Ado AEtate 6. sub anno 583: In præsentia, inquit, Regis iudicantibus Francis, indomitis equis religata discinditur. De Regalis verò patrimonii partitionibus & abannagiis, testimonium extat apud eundem lib.5 .cap.94. vbi de Carolo Magno commemorans, ita loquitur: Illis absolutis conuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda, & conseruanda inter filios suos, & diuisione Regni facienda in partes tres: vt vnusquisque illorum quam partẽ tueri & regere debuisset, si superstes illi eueniret. Item eo loco vbi de partitione inter Ludouici liberos facta loquitur: libr.5. cap.40. Profecti Ambianos, &, sicut fideles illorum inuenerunt, regnum paternum inter se diuiserunt. Item capit.41. vbi de Carolomanno scribit, qui Vvormaciæ concilium agebat: Ad quod Placitum Hugo profectus pro petitione partis Regni, quam frater suus Ludouicus in locarium acceperat. Quinetiam ex aliis locis licet animaduertere, si quando Rex maiores sumptus facere instituisset, velut in templis ædificandis & monasteriis fundandis: Rex ordinum concilium inquirebat.

Nam Aimoinus lib.4.cap.41. vbi de Clodo ueo secundo loquitur, qui in tribunali pro so lenni concilio sedebat: Hoc habuit, inquit, sermonis exordium: Quanquam Francigenæ ciues, terreni nos cura principatus admonet, publicis vos consultores rebus aduocare. Atque hæc quidem hactenus. Ex quibus perspicuum esse arbitramur, quod initio diximus, omnem planè Regni administrã di potestatem penes publicum Concilium fuisse: quod, vt antè diximus, Placitum appel labant, propterea quòd Latina consuetudine Placitũ id propriè dicitur, quod de re in multorum consilio quæsita & deliberata tãdem inter ipsos conuenit: vnde Placita philosophorum apud Ciceronem, & alios antiquos, dicta sunt. Quod cùm ita se habeat, non absurda, opinor, coniectura nostra videbitur, quam aliis iam quibusdam in libris nostris exposuimus, vulgatam formulam, qua etiam nunc Regii scribæ in legum & constitutionum clausulis vtuntur, ex illo PLACITI vocabulo, natam esse: QVIA TALE EST NOSTRVM PLACITVM. Nam cùm illæ Latinis literis scriberentur, (quod ex Aimoino & Capitulari Caroli Magni, & aliis eiusmodi monimentis satis constare arbitramur) postea scribæ Regii, vbi populari sermone vti cœperunt, ita vel inscientia, vel malitia potius conuerterũt: Car tel est nostre plaisir. Quoniam ita nobis placet. Nam de populi quoque potestate argumentum in Caroli Capitulari hoc extat: Vt populus interrogetur de capitulis, quæ in lege nouiter addita sunt, & postquam omnes consenserint, subscriptiones & manu firmationes suas in ipsis capitulis faciant. Quibus ex verbis patet, populos Franciæ, iis demum olim legibus astringi solitos, quas in comitiis suffragiis suis sanxerant. Et in fin. Legis Alemann. Hoc decretum est apud Regem, & Principes eius, & apud cunctum populum Christianum, qui infra Regnum Merouingorum consistunt. Item apud Aimoin. lib.5.cap.38. In ipso Placito hæc sequuntur, inter eos consensu fidelium suorum seruanda conuenerunt. Conuentio quæ inter gloriosos Reges &c. ipsis & communibus fidelium ipsorum fauentibus & consentientibus facta est. Postremò ne illud quidem prætermittendum est, tantam huius Concilii apud exteras gentes auctoritatem fuisse, vt etiam Principes exteri si quid controuersiæ haberent, id interdum illius Concilii iudicio permitterent. Appendix Gregor. Turon. lib.11. cap.37. Anno 12. regni Theodorici cum Alsaciones, vbi fuerat enutritus, præcepto patris sui Childeberti tenebat, ad Theodeber-

tum barbarico ritu peruaditur: vnde placitum inter hos duos Reges, vt Francorum iudicio finiretur, Saloiſſo caſtro inſtituunt.

¶ De Præfectis Regiis, qui Maiores domus dicebantur.

CAP. XII.

PRIVSQVAM de continuata Publici Concilii auctoritate plura exponamus, non prætermittenda commemoratio eſt de Regiis Præfectis, qui Merouingicis temporibus Maiores domus, hoc eſt, Magiſtri Palatii dicebantur: qui cùm Regiam poteſtatẽ aliquandiu obſediſſent, aliquando tandem facultatem nacti eam pro ſua occuparunt. Eorum video eandẽ propè apud Reges noſtros dignitatem fuiſſe, qualis quondam apud Imperatores Romanos erat Præfectorum Prætorio: qui etiam Aulæ præfecti dicebantur. Eodem autem in concilio & conuentu quo Reges ipſi deſignabant, publicíque conſilii auctores ac principes eſſe ſolebant. Itaque paſsim apud Hiſtoricos noſtros illa occurrunt: In principatum maioris domus elegerunt. Item: Herchinoldo Maiore domus defuncto, Franci Ebroinum in hac dignitate, vt Maior eſſet in Aula Regia conſtituunt.

Item

Item: Hilderichum ſuper ſe Regem leuant, Maiorem domus, Vuolfoldum. Quod ad ſuperiorem proximam tractationem pertinet, vbi maiores quoſque magiſtratus non à rege mandari, ſed in ſolenni concilio fideliſsimis & probatiſsimis viris deferri ſolitos demonſtrauimus. Verùm in hoc magiſtratu idem planè vſuuenit, quod Plutarchus in Lyſandri vita tũ accidiſſe ſcribit, cùm Ageſilaus à Lacedæmoniis ad exercitum Imperator miſſus eſt, Lyſander autẽ legatus. Vt in tragœdiis, inquit, plerunque vſuuenit hiſtrionibus, vt qui nuncii vel ſerui perſonam ſuſtinent, pluris fiant, primáſque partes agant: illius verò qui ſceptrum & diadema geſtat, ne vox quidem exaudiatur: ſic penes legatum Lyſandrum maieſtas imperii verſabatur: penes Regem verò, nudum atque inane nomen manebat. Quod eodem modo in Francogallia noſtra tum accidit: oblata videlicet occaſione, & creſcendi facultate ex Regum aliquot inertia, deſidiáque: in quibus Dagobertus, Clodoueus, Clotharius, Childericus & Theodoricus numerari poſſunt. Nam auctor hiſtoriæ Francorum, quem Venericus Vercellenſis aliquoties ſiue nomine tamen profert, ita ſcribit: Tempore Clotharii patris Dagoberti Regnum Francorum regi cœptum eſt, & adminiſtrari ab his, qui Prouiſores aulæ Regiæ,

Regiæ, vel Maiores domus eſſe videbantur. Quod idẽ Godfridus Viterbien. parte Chronic. 16 teſtatur. Itaque dum illi Magiſtri Palatii omnia Reipublic. munera obirent, & ſi quod gerendũ eſſet bellum, exercitibus præeſſent, hi domi nudo atque inani Regum nomine contenti propter deſidiam in otio viuebant. Tandémque eo progreſſa res eſt, vt Childerico Rege 18. regnum obtinente, Pipinus Magiſter palatii, qui Regis nomine magna diutúrnáque bella geſſerat, Saxones deuicerat, ſuámque in poteſtatem redegerat, oblatam Regii nominis occupandi facultatẽ non repudiarit: exercitu præſertim, cóque victore & glorioſo inſtructus. Quarum rerum apud Auctores teſtimonia hæc extant. Primùm apud Ottonem Friſingenſem Chronic. 5. cap. 12. & imitatorem ipſius Godefridum Viterbienſem, parte 16. vbi ſic ſcribunt: Reges Franciæ ante tempora Pipini Magni, qui Maior domus erat, expertes omnis adminiſtrationis & regiminis, ſolo nomine regnabant: ſed Maiores domus vniuerſam Regni adminiſtrationem habebant. In eandem ſententiam Sigebertus ſub anno 662. & Lothario Clodouei filio ita loquitur: Abhinc Frãcorum Regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, regni potentia diſponebatur per Maiorem domus, Regibus ſolo no-

mine

mine regnantibus: quibus moris erat principari quidem ſecundum genus, & nil agere, vel diſponere. Quanquam in hac commemoratione cautio adhibenda eſt. nam cùm & Pipinus & eius filii ob ereptum Regi Childerico regnum inuidia (vt credi par eſt) laborarent, reperti ſunt homines ingenioſi, qui & Childerici, & ſuperiorum Regum deſidiam verbis maiorem facerent: inertiámque grauius accuſarent. In his Eguinarthus Caroli Magni Cancellarius, qui ſuo Imperatori ſtrenuam in ea re operam nauauit. Nam initio ſui libri ita ſcribit: Gens Merouingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant, vſque in Hildericum Regem, qui iuſſu Stephani Rom. Pontificis depoſitus ac detonſus, atque in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur: quæ licet in illo finita poſsit videri, tamẽ iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquã in ſe clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes Palatii Præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperii pertinebat, tenebantur: neque aliud Regi relinquebatur, quàm vt Regio tantùm nomine cõtentus, crine profuſo, barba ſubmiſſa, ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret, legatos vndecũque venientes audiret, eíſque abeuntibus reſponſa, quæ erat doctus, vel e-

tiam iussus, ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen & precariũ vitæ stipendiũ, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quàm vnam præparui reditus villam: in qua & domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. His Eguinarthi verbis inductus Sigebertus sub anno 662. eadem propè verborum contumelia superiores Reges insectatur: Quibus, inquit, moris erat principari quidem secundum genus, & nihil agere vel disponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domíque morari. Quasi verò hæc eadem Regum superiorum ratio, atque inertia fuerit: in his Clodouei, qui nõ modò innumerabiles Germanorum copias in Galliam irrumpentes, prælio propè Tolbiacum commisso, profligauit: verumetiam Romanorum reliquias è Galliæ finibus propulsauit. Iam verò quid de Childeberto, & Clothario dicemus, qui Vvisigothos & Ostrogothos è prouincia & Aquitania vbi sedes fixerant, exterminarunt? Quorum omnium in historiis nulla Magistri Palatii, ne minima quidem mentio fit, nisi fortè cursim atque obiter, & tanquam vnius è Regii Imperii administris, velut apud Gregorium libro 5. capite 18. vbi de Gucilio loquitur:

quitur: & lib. 6. cap. 9. & cap. 45. & lib. 7. cap. 29. Itaque honos ille non tantùm in Regis, verumetiam in Reginæ aula & comitatu versabatur. Nam idem Gregor. libr. 7. cap. 27. Vvaddonem quendam nominat maiorem domus in aula Reginæ Riguntheæ: aliísque locis compluribus idem Gregor. & Aimoinus Magistros aulæ domúsque Regiæ commemorant. Tanta autem illorum Regiorum præfectorum potentia initium (vt modò diximus) cœpit tempore Clotharii 2. circiter annum 588. id est, circiter 130 annis post Regnum Francogalliæ constitutum. Quod ex eo, quem Venericus aliquoties profert, historico licet cognoscere. Sunt tamen duo alii historici, sed nequaquam tantæ auctoritatis, Sigebertus & Tritemius, qui tantæ potentiæ initium ad Clotharii 3. Regnum referunt: cuius magister Palatii Ebroinus nominatur, homo nequitia & crudelitate insignis. Vtcunque sit, Historici aliis quoque nominibus Magistros illos Regii palatii appellabãt: Comites domus Regiæ, Præfectos aulæ, Comites Palatii.

¶ Vtrum Pipinus Papæ, an Francogallici cõcilii auctoritate Rex fuerit.

CAP. XIII.

QVONIAM superiùs dictum est, Pipinum ex Magistro Palatii Regem esse factum, exacto Childerico Rege stupido, in eóque Childerico Merouingiorum stirpē defecisse: nō alienum est, hoc loco exquirere, cuiúsnam auctoritate Regnum illi delatū fuerit. Nam Gelasius Papa in cap. alius. 15. quæst. 6. Alius inquit, Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit: & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum substituit: omnésque Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. Neque ferè quisquam est, qui non illud Papæ de semetipso testimonium approbarit: Ado, Lambertus, Rhegino, Sigebertus, Aimoinus, Lādulphus. Quinetiam Venericus Vercellensis, in eo quem superiùs protulimus libro verba hæc ex epist. Gregorii Papæ 7. ad Hermannum Metensem Episcopum profert: Quidam Romanus Pontifex Regem Francorum non tā pro suis iniquitatibus, quàm pro eo quod tantæ potestati non erat vtilis, à Regno deposuit, & Pipinum in eius loco substituit, omnésque Francigenas à iuramento fidelitatis,

tis, quam illi fecerant, absoluit. Hæc ille. Quod idem Otto Frising. commemorans libro Chron. 5. cap. 23. item Godfrid. Chron. parte 17. ita exclamant: Ex hoc facto Romani Pontifices Regna mutandi auctoritatem trahunt. Sed videamus, ne huius historiæ veritas non satis constet. nam primùm omniū ex tanto Regum Francorum numero, quos vel creatos, vel abdicatos docuimus, neminem esse constat, Papæ auctoritate vel creatum, vel abdicatum: contrà verò docuimus ius illud omne & creandorum, & abdicandorum Regum, penes solenne gētis concilium fuisse. vt planè incredibile videatur, Francos in hoc vno ius illud suum neglexisse. Quid verbis opus est? Venericus ille Vercellensis testimonium profert historici veteris, qui de gestis Francorum conscripserat: quo tota illa narratio mendacii coarguitur: dilucidéque affirmatur, & Childericum & Pipinum vsitato Francorum more, veterúmque instituto illum abdicatum: hunc autem in illius locum suffectum fuisse. hoc est, solenni gentis concilio, cuius solius tantam fuisse potestatem, superius demonstrauimus. Illius autem historici verba hæc sunt: Quod vnà cum concilio & consensu omnium Francorum missa relatione ad sedem Apostolicam, & auctoritate percepta, præcelsus Pipinus ele-

ctione totius gentis sublimatus sit in sedem Regni, cum consecratione Episcoporum, & subiectione Principum. Quibus ex verbis satis patet, Pipinum non à Papa, sed à populo ipso & Ordinibus ac Statibus Regni delectũ inauguratúmque fuisse. Quod etiam paulò ante dilucidius idem Venericus ex eodem Historico sic exponit: Pipinum Maiorem Palatii, cùm ad illum spectaret summa Regiæ potestatis & officii, electum fuisse primum ex Præfectis palatii in Regem atque ordinatum fuisse: prius super hoc experto Zachariæ Papæ iudicio: quia consensus & auctoritas Romani Pontificis necessaria huic videbatur negotio. Et mox: Quorum legatorum postulationem cùm æquam atque vtilem Zacharias Papa iudicasset, ad ea quæ postulabant consensit, & Pipinus factus est Rex communi suffragio Principum. In eandem sententiam Ado Viennensis AEtat. 6. sub anno 727. ita scribit: Missi legati ad Zachariam vt interrogarent eum, si ita manere deberēt Reges Francorum, cùm penè nullius potestatis essent: iam solo Regio nomine contēti. Quibus Zacharias Pontifex responsum dedit, Regem potius illum debere vocari, qui Remp. regeret. Reuersis legatis, abiectóque Childerico, qui tunc Regium nomen habebat, Franci per consilium legatorum & Zachariæ Pōtificis

tificis

tificis electum Pipinum Regem sibi constituunt. Præter illos superiores extat Aimoini testimonium in eandem sententiā lib. 4. cap. 61. vbi ad extremum ita cōcludit: Hoc anno Pipinus Rex Francorũ appellatus est: & more Francorum eleuatus in solium Regni, in Suessionum ciuitate. Sed & Godfridus Viterb. Chron. parte 17. cap. 4. Pipinus, inquit, per Papam Zachariā ex electione Francorũ rex factus est Francorũ: HilDericho ignauo Rege per Francos in monasteriũ misso. Horum similia dilucidè scripserunt Sigebertus sub anno 752. auctores historiæ miscell. lib. 22. Item Otto Frising. lib. 5. cap. 21. 22. 23. & auctor libri, cui titulus est, Fasciculus tēporũ. Ex quibus omnibus facilè intellectu est, Nō si Franci Pipinum exquisita Papæ sententia Regem crearunt, iccircò illum Papæ imperio atque auctoritate creatũ fuisse. Aliud est enim Regem creare, aliud creandi consilium dare aliud ius creandi habere, aliud ius consilii dandi. quanquam consilii in huiusmodi rebus dandi ius nemo habet, nisi is à quo petitur. Denique nemo dilucidius totam hanc rem explicat Marsilio Patauino, qui imperāte Ludouico Bauaro librũ de trāslatione imperii cōscripsit: in quo cap. 6. ita loquitur. Pipinus filius Caroli Martelli, vir in rebus bellicis strenuus, legitur à Zacharia Papa in Re

gni Francorum excellentiã ſublimatus. Sed Aimoinus in Geſtis Francorum ſcribit, & verius, Pipinum per Francos legitimè in Regem electum, & per Regni Proceres leuatũ. Childericus verò, qui tum ſub nomine Regio in deliciis marceſcebat, fuit in monachũ tonſoratus. Vnde non illum Zacharias depoſuit, ſed deponentibus (vt quidam aiunt) conſenſit. Nam talis depoſitio Regis, & alterius inſtitutio, propter rationabilem cauſſam, non ad Epiſcopum tantummodo, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, ſed ad vniuerſitatem ciuiũ inhabitantium regionem, vel nobilium, vel ipſorum valentiorem multitudinem. Paparum igitur commentum de iure Regum vel creandorum vel abdicandorum, perſpicuum omnibus eſſe arbitror: ſed præter commentum, quod improbitatis & malitiæ documẽtum eſt, operæpretium eſt, inſignem quandam Stephani Papæ epiſtolam ad hanc fabulam accommodatam proponere, ex qua de veteratoris illius ſtoliditate & veſania exiſtimare liceat. Extat autem apud Rheginonem monachum ordinis Benedictini, Abbatem Pruniacenſem, teſtem in hoc genere irrefragabilẽ: in Chron. anni 753. STEPHANVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Sicut nemo ſe debet iactare de ſuis meritis, ſic non

debent opera Dei, quæ in illo per ſuos ſanctos fiunt, ſine ſuis meritis ſileri, ſed prædicari: ſicut angelus admonet Thobiam. Vnde ego pro oppreſsione ſanctæ Eccleſiæ à Rege atrociſsimo & blaſphemo & nec dicendo Haiſtolpho, ad optimum & Sancti Petri fidelem Dominum Pipinum, Chriſtianiſsimũ Regem, in Franciã veni, vbi ægrotaui vſque ad mortem, & manſi aliquod tempus apud pagum Pariſiacum, in venerabili monaſterio S. Dionyſii martyris: quem, cùm iam medici deſperarent, fui ſicut in oratione in Eccleſia eiuſdem beati martyris ſubtus campanis: & vidi ante altare Dominum Petrum, & Magiſtrum gentium Dominum Paulum, & tota mente illos recognoui de illorum ſurcariis: & tunc Beatum Dominum Dionyſium ad dextram Domini Petri ſubtilem & longiorem, dixitque bonus Paſtor, Dominus Petrus: Hic frater noſter poſtulat ſanitatem: & dixit beatus Paulus: Modò ſanabitur, & appropinquans miſit manum ſuam ad pectus Domini Dionyſii amicabiliter, reſpexitque ad Dominum Petrum: & dixit Dominus Petrus ad Dominum Dionyſium hilariter: Tua gratia eſt ſanitas eius. Et ſtatim Dominus Dionyſius thuribulum incenſi, & palmam in manu tenẽs cum presbytero & diacono, qui in parte ſtabant, venit ad me, & dixit: Pax te-

cum frater, noli timere. non morieris donec ad ſedem tuam proſperè reuertaris: Surge ſanus, & hoc altare in honorem Dei, & Apoſtolorum Petri & Pauli, quos vides, dedica. miſſas gratiarum agens, móxque factus ſum ſanus: & volebam implere, quod mihi præcептum erat, & dicebant, qui ibi aderant, quòd dementabam. Quapropter retuli illis & Regi, ſuíſque omnibus ex ordine quæ videram, & quomodo ſanatus fuerim, & impleui quæ viſa ſunt mihi omnia. Geſta ſunt autem hæc anno ab incarnatione Domini 753. Id. Au. quo Chriſti roboratus virtute, inter celebrationem conſecrationis præfati altaris, & oblationem ſacrificii, vnxi in Reges Francorũ Regem Pipinum, & duos filios eius Carolum & Carolomannum. Sed & Bertrandam coniugem ipſius Regis, indutam cycladibus regiis, & gratia ſpiritus ſancti ſeptiformis cõſignaui in Dei nomine: atque Francorũ proceres Apoſtolica benedictione ſanctificans, auctoritate S. Petri ſibi à Chriſto tradita obligauit, & obteſtatus eſt, vt nunquam de altera ſtirpe per ſuccedentium temporum curricula, ipſi vel quique ex eorum progenie orti, Regem ſuper ſe præſumant aliquo modo conſtituere, niſi de eorum progenie.

¶De Comeſtabulo, & Paribus Franciæ.

CAP. XIIII.

PRAETER illam Magiſtri Palatii dignitatem, de qua ſuperiùs diximus, fuit & altera de qua icircò dicendũ hoc loco eſt, quoniam hæc maiorum noſtrorum memoria videtur in illius locum ſucceſsiſſe. Erant enim Comites ſtabuli Regii, vnde Comeſtabuli, ad extremum Conneſtablii poſtea, corrupto nomine, dicti ſunt. Comites autem vulgò dicebantur omnes, qui ampliſsimos quoſque honores in Regia obtinebant: & Remp. pro parte adminiſtrabant: à qua conſuetudine veteres non abhorruiſſe, aliis quibuſdam libris noſtris docuimus. Sic enim Cicero Calliſthenem Alexandri Magni Comitẽ non vno loco appellat. Erat autem Comes ſtabuli ferè is, qui apud Romanos Magiſter equitum dicebatur: hoc eſt, qui equitatui præerat: cui cuſtodes equorum ſuberant, quos vulgò Scurieros appellamus. Gregor. Turon. libro 5. cap. 39. Theſaurarius Clodouei à Cuppane Stabuli comite de Biturigo retractus, vinctus Reginæ tranſmiſſus eſt. Et rurſus capite 48: vbi de Leudaſte loquitur: Quæ libenter eum colligens prouocat, equorúmque meliorum deputat eſſe cuſtodem. Hinc iam obſeſſus vanitate, & ſuperbiæ deditus, Comitatum ambit ſtabulorum: quo accepto cunctos deſpicit ac poſtponit. Quibus ex locis appa-

ret, custodiam equorum præfecturam fuisse honestissimam, sed multo ampliorem Comitatum Stabulorum. Cuius rei Aimoinus quoque auctor est lib.3.cap.43:vbi de eodem Leudaste loquitur: Reginæ familiarissimus factus custos equorum efficitur. Inde Comitatum super cæteros nactus custodes post mortem Reginæ Comitatum Thuronicum à Chariberto percepit. Et rursus capite 70. Leudegisilus Regalium præfectus equorum quem vulgò Connestabilem vocant, quémque Rex ei præfecerat expeditioni, machinamenta deduci imperat. Item lib.4 cap.95.vbi de Carolo Magno loquitur: Eodémque anno Burchardum Comitem Stabuli sui cũ classe misit in Corsicam. Quod Rhegino libro 2 commemorans, Eodem anno, inquit, Burchardum Comitem Stabuli sui quem corruptè Constabulum appellamus, cum classe misit in Corsicam. Hunc autem Appendix Gregorii Comestabulum appellat, lib.11. Brunechildis,inquit,ab Erporre Comestabulo de pago producitur. Quod cùm ita esset, Alb.Krantzius lib.Suet.5.cap.41.ausus est Connestablium affirmare,eundem esse, quem Germani Marschalcum appellant: Gubernatorem,inquit, appellauere ex optimis militem,qui conuocãdis Regni cœtibus & omnia vice Principis gerendi habeat potestatem.

testatem. Mareschalcum nostri vocant:Galli Connestabulum. Hæc ille: quæ fortassis eò probabiliora videri possunt, quòd Mareschallorum nullam in Francogallia nostra mentionem antiquitus animaduerto: vt verisimile sit, Regum posteriorum institutum illud fuisse, ad Germanorum consuetudinem accommodatum. Hunc autem stabulorum Comitatum non dubito à Romanorum Imperat.instituto natum fuisse: etsi ex paruis initiis tandem moribus nostris ad præfecturæ prætoriæ dignitatem excreuit. Erat autẽ per illa tempora dignitas hæc tanquam militaris Tribunatus. Ammianus lib.26: vbi de Imperatore Valentiniano loquitur: Nicomediam itineribus certis ingressus,Kalendis Martiis Valentem fratrem stabulo suo cum Tribunatus dignitate præfecit. Eius dignitatis in Codice Iustiniani mẽtio fit l.1. Cod. de comitibus & tribunis schol. vbi magni honoris loco illis tribuitur,vt Imperatoris epulis præesse, & purpurã eius adorare possint. Itémque in l.3, Cod. Theodos. de annon. & tribut. & l. perpẽsa,29. Cod.Theodos.de equor.collat.& l.1, Cod.Theod.qui à præbit. tyron. vbi ius illis conceditur sportulas exigendi à prouincialibus, qui militares equos ad vsum Imperatoris conferebant. Superest. vt de iis magistratibus disseramus, qui vulgò

PARES FRANCIAE nominantur: quanquam nobis quidem non studium, sed monimentorum facultas deest. Nam ex tanto librorum numero, qui Francogalliæ Annales & Chronica dicuntur, ne vnus quidem extat, in quo probabilis aliqua illius instituti ratio proferatur. Quod enim Guaguinus & Paulus AEmilius non tam Gallorum, quàm Paparum historicus, & alii peruulgati scribunt, magistratus illos vel à Pipino, vel à Carolo Magno institutos fuisse: id planè absurdum esse, vel hinc intelligatur, quòd ex tam multis Germanis Historicis, qui Regum illorum ætate, aut paulò infra eorum ætatem historias scripserunt, nullus planè Magistratuum illorum mentionem vel tenuissimam interponit. Quinetiam Aimoini de Francorum institutis & rebus gestis historia, vsque ad Ludouici Pii, eiusque Appendix ad Ludouici Iunioris Regis 37. ætatem perducta, nusquam horum Parium mentionem facit. Quare tantisper dum certius aliquid afferatur, Geruasio Tilesberio assentior, quem Guaguinus testatur in libro quem ad Imperator. Ottonem quartum de otiis imperialibus scripsit, memoriæ prodidisse, institutum illud Arturi Anglorum Regis fuisse, qui annos aliquot in Galliæ parte dominatus fuerat. Nam illius instituti rationem hanc esse arbitror,

Parium Franciæ institutio.

arbitror, vt quemadmodum feudali iure Pares Curiæ appellantur beneficiarii, siue clientes ὁμότιμοι & conuassalli, qui ab eodem Seniore ac patrono beneficia & feuda sua acceperunt: eóque nomine fide & obsequio illi deuincti sunt: sic in nouo Regno occupato, Arturus Principes 12. delegerit, quibus Regni sui partes, ac tanquam satrapias attribueret, quorúmque ope & consilio imperium administraret. Magnúmque eorum iudicium requirere cogimur, qui propterea pares Franciæ appellatos scribunt, quòd Regi pares essent: cùm paritas non ad Regiam, sed ad communem ipsorum dignitatem atque auctoritatem referretur. Nomina autem hæc fuerunt: Duces Burgundiæ, Nortmanniæ & Aquitaniæ: Comites Flandriæ, Tholosæ, & Campaniæ: item Archiepiscopi Remensis, Laudunensis & Lingonensis: Episcopi Bellouacus, Nouiodunensis, & Cathalaunensis. Et quemadmodum Pares Curtis siue Curiæ feudali iure neque creari nisi pro collegio, neque abdicari, nisi caussa in collegarum consilio cognita, neque ad aliud vllum, nisi collegarum iudicium vocari possunt: ita hi nullo nisi Parlamenti, hoc est, imaginarii concilii iudicio tenerentur: & non nisi pro collegio vel cooptari, vel exauctorari possent. Etsi autem à Rege pe-

cognoscí

regrino & aduena Magistratus illi primùm instituti fuerint: tamen cum illo exacto, restitutis Regibus institutum illud ad suas rationes accommodatum videretur, consentaneum est, illud ab iis retentum atque vsurpatum fuisse. Primam quidem Parium mentionem video notari in Philippo Pulchro inaugurando, à quo ipso multi affirmant sex Pares ecclesiasticos creatos fuisse. Budæus autem vir longè doctissimus Pares illos Patritiorum nomine appellat, scribítque videri sibi ab vno aliquo Rege institutos, ex eorum numero qui Germanicum Imperium obtinuerunt: propterea quod Iustinianus patres eos ab Imperatore delectos esse ait: quasi Reip. patronos, tutorésque. Ego doctissimi viri sententiam non aspernor: præsertim à Parium dignitate non alienã. Fuit enim Romanorum Imp. posteriorum ætate Patritiatus, dignitas ab illa Parium non admodum dissimilis: partim quòd Reipublicæ quodãmodo patres erant, vt Suidas testatur: & de summis quibúsque rebus ab Imperatore consulebantur: insignibúsque iisdem, quibus Cõsules, vtebantur: ac maiorem quidem Præfecto Prætorio, minorem autem Consule, honorem atque auctoritatem habebant. Quod ex Iustiniani Nouellis, & Sidonio Apollinari, & Claudiano, & Cassiodoro præsertim cognosci

Patritij imperatorum tempore bat

cognosci potest. Sed translato in Germanos Imperii nomine vsurpatum hunc honorem non putamus neque verisimile est, vllos eiusmodi Patritios ab aliquo Germanico Imperatore, qui idem Francogalliæ Rex esset, institutos fuisse, vt non aliquis ex Germanicis historicis eius mentionem fecisset. Denique idem Budæus, eodem loco hæsitans, cõmemorat eiusmodi Parium dignitatem apud cæteras quoque vicinas gentes fuisse: atque in Regiis Commentariis scriptum esse, anno 1224. Ioannem quendam Nigellanum Flandrum, cui controuersia in Flandria illata esset, à Comitissa Flandriæ, Pares Franciæ appellasse: quòd se æquo iudicio apud Pares Flandriæ certare se non posse iurasset: cúmque à Comitissa ad Parium Flandriæ iudicium reuocaretur, tandem certis de caussis decretum, vt ea controuersia ad Pares Franciæ introduceretur. Caussa autem translati iudicii cuiusmodi fuerit, neque Budæus exponit: &, qui in iure feudali versatus esset, nunquam prætermisisset. Sed iam tempus est ad institutum nostrum redire.

¶De continuata Sacrosancti concilii auctoritate sub Carlouingiorum Regno.

CAP. XV.

CVIVSMODI regnãtibus Merouingiis Reip. nostræ forma fuerit, quantáq; Cõcilii publici auctoritas, satis iam explicatum arbitramur. nunc cõsequẽs est, vt qualis sub Carlouingiis fuerit, exponamus. Quantùm enim ex omnibus & nostris, & Germanicis historiis existimare licet, eadem prorsus Ordinũ, siue Statuum auctoritas conseruata est: vt non penes Pipinum aut Carolum, aut Ludouicum, sed penes Regiam maiestatem summum rerum omnium iudicium arbitriúmque esset: cuius Maiestatis veram propriámque sedem in solenni cõcilio fuisse, superiùs demonstrauimus. Huius autem rei documento est, primùm Eguinarthus, in eo quem aliquoties iam laudauimus libello: vbi cùm ea quæ post Pipini mortem acciderunt exponit, ita loquitur: Franci siquidem facto solenniter generali conuentu ambos sibi Reges constituunt, ea conditione præmissa, vt totum Regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem quã pater eorum Pipinus tenuerat, Carolomanus verò eam cui patruus eorum Carolomannus præerat, regendi gratia susciperet, &c. Quibus ex verbis facilè intellectu est, quam potestatem antea trecentis paulò minus

nus annis sub Merouingiis Regni ordines habuerant, eandem post illius interitum sibi retinuisse: vt quanuis defuncti Regis filii extarent, tamen non tam hereditario iure, quàm ordinum iudicio & voluntate ad Regnum peruenirent. Iam verò cætera quoque maiora Regni negotia ad illud idem concilium referri solita, testimonio est Aimoinus lib. 4. capite 71. vbi de Saxonum bello loquitur: Rex, inquit, prima veris aspirante temperie, Nouiomagum profectus est, & ad locum, qui Padabruno vocatur, generalem populi sui conuentum habiturus cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est. Et rursus capit. 77. Transacta tandem hyeme, publicum populi sui conuentum in loco qui Padabruno vocatur, more solenni habuit. Item, cap. 79. Et cùm vxorem suam Vvormaciæ inuenisset, generalem populi sui conuentum ibi habere statuit. Quo loco & aliis superioribus perpetuò de Carolo Rege loquitur: qui cùm Europæ ferè totius Regnum magnis suis rebus gestis adeptus esset, Magníque cognomentum gentium omnium consensu cõsecutus, Francis tamen pristinum illud suum ius ac libertatem eripere nõ potuit: ac ne conatus quidem vnquam est, maiorẽ vllã rẽ sine populi iudicio & optimatũ auctoritate suscipere. Iam verò post Caroli Magni è vita ex

cessum, non dubium est, quin Ludouicus e-ius filius eadem conditione Regnum administrarit. Nam Appendix Aimoini lib.5.cap. 10. Mortuo, inquit, Carolo Ludouicus Imperator concilium populo generale, quasi quodam indixerat præsagio, in loco Theotuadi. Rursus cap.38: vbi pactionem pacis commemorat factæ inter Ludouicũ Regem, & Ludouicum ipsius consobrinum: Condixerũt, inquit, placitum, & in ipso placito hæc quæ sequuntur inter eos consensu fidelium suorum seruanda conuenerunt: in quo placito communi consensu inuentum est, vt ipsi Reges redirent cũ scara, &c. Item cap. 41. vbi de Carolomanno Ludouici Balbi filio loquitur: Et sic, inquit, reuersus Vvormaciam placitum suum Kalend. Nouemb. habiturus à Nortmannis recessit. Item capite sequen. vbi de Carolo Simplice loquitur: Cuius ætatem, inquit, Franciæ primores incongruam exercendæ dominationi arbitrati, consilium de summis ineunt rebus. Sed singula testimonia persequi laboris esset infiniti, &, vt opinor, superuacanei. Nam ex iis quæ vsque adhuc protulimus patere cuiuis arbitramur, iudicium arbitriúmque summæ Reipub. vsque ad Carolum Simplicem, hoc est per annos amplius quingentos & quinquaginta penes populi comitia, & (vt nũc loquimur)

quimur) Ordinum conuentum fuisse: idque maiorum nostrorum institutum pro sacrosancto habitum tot seculis fuisse: vt iam Scriptorum quorundam recentium satis admirari iudicium non possim, quos non est puditum, suis in libellis tradere, Concilii publici institutum Pipino Regi accepto ferẽdum esse: cùm Eguinarthus Caroli Magni Cancellarius ita dilucidè testetur Merouingiorũ omnium institutum fuisse, vt quotannis Kal. Maii publicum populi sui conuentum agerent, ad eúmque conuentum carpento bobus tracto veherentur. Sed vt maiore in argumento operam ponamus, atque in illo instituto Maiorum nostrorum sapientiam, tanquam in speculo, contemplemur, an non perspicuum est, quantam illi inter Regem & Regnum differentiam ostenderint? Etenim sic se res habet. Rex, princeps est vnicus ac singularis: Regnum verò ipsa Ciuium ac subiectorum vniuersitas. quam distinctionem Iurisconsulti quoque obseruant. Nam Perduellem Vlpianus definit, qui hostili animo aduersus Remp. vel Principem animatus est. Et in legibus Saxon. tit. 3. Qui in Regnum, vel in Regem Francorum consiliatus fuerit, capite punitur. Rursus Rex eandẽ cum Regno rationem habet, quam Pater cum familia, Tutor, cum pupillo, Curator cum adole-

Regis et Regni differentia

ſcente Gubernator,cum nauigante nauē:Imperator, cum exercitu. Vt igitur non pupillus tutoris,non nauis gubernatoris,non exercitus Imperatoris: ſed contrà hi cauſſa illorum inſtituti ſunt: ita non populus Regis, ſed Rex populi cauſſa quæſitus ac repertus eſt. Poteſt enim populus ſine Rege eſſe, vt qui optimatum aut ſuo ipſius conſilio pareret. Ac ſine populo ne fingi quidem cogitando Rex poteſt. Age, cæteras differentias videamus. Rex æquè vt quiuis priuatus, mortalis eſt. Regnum perpetuum, & certè (vel ominis cauſſa) immortale: vt Iuriſconſulti de collegiis & vniuerſitatibus loquuntur. Rex mentis errore, inſaniáque affici poteſt, vt noſter Carolus VI, qui Regnum ſuum Anglis donauit. neque vlli ſunt homines, qui facilius voluptatum blandimentis de ſtatu mentis deturbentur. At regnum ſuam habet in ſuis Senioribus & vſu rerum peritis propriam certámque, tanquam in capite ciuitatis, ſapientiam. Rex vno prælio, vno inquam die, vinci, capi etiam, atque in hoſtium fines abduci poteſt: quod in Ludouico Sancto, & Iohanne, & Franciſco primo, vſuueniſſe nemo ignorat. Regnum amiſſo Rege incolume tamen manet: continuóque tanto accepto incommodo Concilium indicitur, primores conueniunt, & præſentibus incommodis

modis remedium quærunt. quod etiam illis caſibus factum conſtat. Rex vel ob ætatis infirmitatem, vel ob ingenii leuitatem, non modò ab vno & altero conſiliario auaro, rapaci, libidinoſo, nō modò à laſciuis aliquot adoleſcentibus æqualibus induci ac deprauari poteſt: verumetiam à muliercula infatuari, ſic, vt omnem prope adminiſtrandi regni poteſtatem ei committat. cuius mali exempla quàm ſæpè acciderint, pauci, vt opinor, ignorant. At Regnum Seniorum ſuorum conſilio & ſapientia perpetuò fretum eſt. Salomon ſapientiſſimus, tamen à mulierculis, etiam in ſumma ſenectute corruptus eſt: Roboamus ab adoleſcentibus: Ninus à matre Semiramide: Ptolemæus, Auletes cognomento dictus, à tibicinibus & citharœdis. Maiores noſtri Regibus ſuis priuatos ſuos conſiliarios, qui priuata ipſorum negotia curarent, reliquerunt. Seniores, qui Remp. adminiſtrarēt, & in commune conſulerent, Regíque adminiſtrandi Regni rationem oſtenderent, ad conuentum publicum reſeruarunt. Anno MCCCLVI, cùm Rege Iohanne capto ab Anglis, & in Angliā abducto, publicū Regni Cōcilium Lutetiæ haberetur: eóq; nonnulli ex Regis conſiliariis conueniſſent: iuſſi ſunt è conuentu exire: denuntiatúmque illis fuit, publici Cōcilii delectos nō amplius con

venturos, si ad illud Regni sacrarium adire pergerent. cuius rei testimonium extat in Magno Chronico Gallicè scripto volu. 2. sub Rege Iohanne, fol. 169. Neque verò vlla vnquam ætas fuit, quæ nō perspicuam illam inter Regem & Regnum differentiam notaret. Rex Lacedæmoniorum (vt Xenophon testatur) & Ephori singulis mensibus inter se iurabant: Rex, se ex legum præscripto regnaturum: Ephori, se Regium dominatum conseruaturos, si ipse iusiurandum seruasset. Cicero in epist. ad Brutum: Scis mihi semper placuisse, non Rege solùm, sed Regno liberari Remp. Idem lib. de legib. 3. Sed quoniam Regale ciuitatis genus probatum quondam, postea non tam Regni, quàm Regis vitiis repudiatum est, nomen videbitur tantum Regis repudiatum &c.

¶ De Capeuingiorum familia, & Regno Francogalliæ in illam translato.

CAP. XVI.

DEmonstratum est superiùs, Regnum Francogalliæ his mille ducentis annis in tribus tantùm familiarum nominibus versatum esse: quarum prima Merouingia, altera Carolouingia ex auctorum & capitum nominibus

bus appellata est. Nam etsi non hereditate (vt iam sæpè docuimus) sed Concilii iudicio Regni successio deferretur, libenter tamen Franci Germanorum suorum institutum retinebant, vt Reges ex nobilitate, (quēadmodum Tacitus loquitur) Duces ex virtute sumerent: ac plerunque Reges eos sibi deligerent, qui Regali sanguine prognati, regaliter instituti, educatique fuerant: siue illi ex liberorum, siue ex propinquorum numero & gradu essent. At anno 987. mortuo Ludouico v. Rege Francogalliæ xxxi, & ex Carlouingiorum stirpe, xii, migratio sceptri, regnique mutatio contigit. Nam cùm ex illa familia Carolus Lotharingiæ Dux superesset, Regis demortui patruus, ad quem instituto Gentis Regni successio deferēda videbatur: exortus est Hugo Capetus, Imp. Ottonis I. sororis Hauuidis nepos, Hugonis Comitis Parisiensis filius, vir militari laude insignis, qui se præsentē, absenti: bene de Regno meritum, alieno, vt ipse loquebatur, præferri voluit. nam cum inter Germaniæ imperium & regnum Galliæ controuersiæ aliquot extitissent, Carolus partium se imperii studiosum, & Galliæ Regno alieniorem ostēderat. Qua de caussa Gallorum complurium animos ac voluntates ab se abalienauerat. Itaque Carolus comparato exercitu, vt in Galliam irru-

pit; ciuitatésque aliquot deditione accepit. Capetus Francogallorum Principum fauore atque amicitia fretus, ad Laudunum oppidum, quod est in Campaniæ finibus, coactis quibus potuit copiis progressus est. neque ita multò post prælium atrox committitur: quo Capetus superatus, in interiorem Galliam profugit, bellúmque nouis coactis copiis redintegrare instituit. Carolus interea in oppido Lauduno cum vxore, dimisso exercitu, quiescebat. Anno insequenti circumuentus à Capeto, magnísque copiis ibidem circunsessus est. Erat in oppido Anselmus quidam, eius ciuitatis Episcopus. Hunc Capetus præmiis & pollicitationibus ad Regis & oppidi proditionem induxit. Ita oppido & victoria potitus, Carolum cum vxore comprehensum Aureliam mittit: custodésque vtrique attribuit. Cùm biennium in custodia Rex fuisset, duo ei filii, Ludouicus, & Carolus, nati sunt, neque longo interiecto tempore omnes interierunt. Ita Capetus liberè ac sine controuersia totius Galliæ Regno potitus, Robertum filium Regni consortem asciuit: cúmque sibi successorem designandum curauit. Atque hoc facto Carlouingiorum familiæ dignitas memoriáque interiit: anno ab ipsorum Regni primordio ducentesimo trigesimo septimo. quam historiam

storiam Sigebertus in Chron. an. 987. commemorat. Itémque appendix Aimoini libro 5. cap. 45. Neque verò silentio prætereundum videtur astutum Capeti in nouo Regno constabiliendo consilium. Nam cùm Magistratus & dignitates Regni, quos Ducatus & Comitatus appellant, ita mandari antiquitus in populi comitiis, certis ac delectis viris solerent, vt in beneficii tantùm loco, & (vt Iurisconsulti loquuntur) precario tenerentur: (quemadmodum in exponenda Concilii publici auctoritate demonstratum est) primus Hugo Capetus ad conciliandos retinendósque sibi procerum animos has, quæ temporariæ erant, dignitates, fecit perpetuas, constituitque vt qui eas obtinebant, patrimonii iure retinerent: atque ad suos liberos posterósque, cum reliqua hereditate, transferrent. teste Francisco Connano Iurisconsult. Comment. 2. cap. 9. quo facinore non minimum publici Cōcilii auctoritatem ab ipso imminutam constat: quam tamen imminui ab ipso sine Concilii ipsius consensu potuisse, temporum illorum rationem consideranti consentaneum non videtur.

De continuata Concilii publici auctoritate in Capeuingiorum familia.

CAP. XVII.

NAM quemadmodum ex Frossardo, Monstreleto, Guaguino, Cominio, Gillio, & aliis historicis omnibus cognosci licet, nihilo prope minor in Capeuingiorum familia, quàm in superioribus duobus, publici Concilii auctoritas fuit. Sed quoniam exempla persequi singula nimis laboriosum, ac planè infinitum esset, pauca quædā illustriora è magno numero quasi exempli loco subscribemus. Primum exemplum sumi licet ex anno MCCCXXVIII. quo tempore, mortuo (vt superiùs diximus) Rege Carolo Pulchro, qui sine liberis virilis sexus, atque postuma filia relicta decesserat, Eduardus Angliæ Rex natus ex Isabella Caroli sorore, Galliæ Regnum ad se hereditate redisse contendebat. Qua controuersia nulla neque maior, neque illustrior ad publicum Concilium deferri potuit. Quinetiam quod ad publicum Concilium introducta est, perspicuo argumento esse potest, maiorem Concilii quàm Regis auctoritatem esse: cùm eius se iudicio atque arbitrio ambo illi Reges subiecissent. quod non modo historici nostri omnes

omnes testantur, verumetiam Polyd. Vergilius Anglus Histori. lib. 19. Quinetiam Pragmaticus Paponius Arestorum lib. 4. cap. 1. scriptum reliquit, bonis (vt opinor) auctoribus fretus, vtrúmque Regem in eo Concilio præsentem affuisse. Cùm res in cōtentionem prope adducta esset, Optimatum consilio populi atque ordinum comitia indicta sunt. De maioris partis sententia placuit, præferri agnatum, prægnantisque Reginæ custodiam Valesio attribui. Et, si filiam pareret, eidem Valesio Regnum adiudicatum est. quam historiam Froissardus exposuit vol. 1. cap. 22. Paponius Arest. lib. 4. cap. 1. artic. 2. Guaguinus in Philippo Valesio. Alterum exēplum suppeditat annus MCCCLVI. quo tempore Rex Ioannes commisso cum Anglis prope Pictauium prælio captus, atque in Angliam abductus fuit. Tanta calamitate accepta, vnica in Concilii auctoritate spes erat reliqua. Itaque comitia continuò Lutetiam indicta sunt: & quanquam tres Regis filii extarent, Carolus, Ludouicus, & Ioannes, quo rum natu maximus iustam administrandi ætatem haberet, tamen delecti alii sunt, ex vno quoque ordine duodeni probati viri, quibus Regni procuratio mādata est: decretáque in Angliam legatio de pace cum Anglis reconciliāda: auctoribus Froissar. vol. 1. cap. 170.

Ioanne Buchetto lib.4. fol.118. Nicol.Gillio in Chronicis Regis Ioannis. Tertium suppeditat annus MCCCLXXV. cùm Caroli V. cognomento sapientis testamentum prolatum est: quo testamento filiorum suorum tutorem instituerat Philippum Ducem Borbonium, vxoris suæ fratrem: Regni autem procuratorem, Ludouicum Ducem Andicum, fratrem suum: tantisper dum Carolus ipsius filius in suam tutelam veniret. Concilium enim Lutetiæ nihilominus actũ est, irritóque habito testamẽto, decretũ est, vt Regni administratio Ludouico pueri patruo cõmitteretur: ea lege, vt eam administrationem de certorum virorum in eo Cõcilio probatorum sententia gereret: pueri autem tutela & educatio Borbonio permitteretur, simúlq; lata Regia lex est, vt qui Regni heres annum ætatis XIIII. impleslet, ei corona imponeretur, hominiáq; & fidelitatũ iuramenta præstarentur: auctore Fross. vol.2. cap.60. Buchett. lib.4. fol.124. Chro. Brit. cap. Quartum suppeditat annus MCCCXCII. cùm idem ille Rex Carolus VI. repentino mẽtis errore affectus, primùm Cenomanũ, tum deinde Lutetiam delatus est: ibiq; Concilium habitum: Ordinúmque auctoritate decretum, vt Bituricæ & Burgundiæ Ducibus Regni administratio deferretur: aucto-

re

re Frossardo volum.4. cap.44. Neque verò prætermittendum est, quod Paponius Arest. lib.5. tit. 10. artic. 4. nostra memoria in Parlamento Parisiensi commemoratum testatur, cum Rex Franciscus primus dominii sui partem alienare vellet, omnes eiusmodi alienationes à superioribus Regibus factas eo solo nomine irritas fuisse, quòd sine Concilii & (vt ipse loquitur) trium Statuum auctoritate factæ fuissent. Sextum exemplũ extitit anno MCCCCXXVI. cùm Philippus Dux Burgundiæ & Hanfredus Dux Clocestriæ capitales inimicitias magno Reipub. detrimento per quandiu exercuissent: tandémque inter eos conuenisset, vt controuersiis omnibus finem duello commisso imponerent. Nam in ea contentione Concilium se interposuit: decreuitque vt arma vterque deponeret, déque suis controuersiis iure apud se potius, quàm ferro disceptarent. quam historiam copiosè exponit Paradinus in Chron. Burgund. libro 3. anno 1426. Septimum exemplum editum est anno MCCCCLXXXIIII. cùm Ludouico XI. mortuo superstite Carolo filio annorum XIII. Concilium Turonis habitum est, decretúmq; vt pueri educatio Annæ sorori Regis committeretur: Regni verò procuratio certis viris in eo Conci-

lio probatis & delectis mandaretur: quãuis Ludouicus Dux Aurelianus proximus agnatus eam poſtularet. Cuius rei teſtimonium extat in actis eius Concilii Lutetiæ impreſſis, & apud Ioan. Buchettum lib. 4. fol. 167.]

¶ De memorabili auctoritate Concilii in Regem Ludouicum XI.

CAP. XVIII.

Magna igitur ac planè ſacroſancta Concilii & Ordinum coactorum vis & poteſtas ex ſuperioribus teſtimoniis apparuit. ſed quoniam in hoc genere verſamur, non prætermittẽda videtur eiuſdem Cõcilii auctoritas, patrum noſtrorum memoria interpoſita contra Regem Ludouicum XI, qui ſuperiorũ Regum omnium verſutiſsimus & callidiſsimus eſt habitus. Anno igitur MCCCCLX. cùm ita Regnum ab illo Ludouico gereretur, vt multis in rebus boni Principis & patriam amãtis officium deſideraretur, cœpta eſt Concilii auctoritas requiri, vt in eo Boni publici ratio haberetur. Et quoniam ei Rex minimè ſeſe ſubiecturus putabatur, Proceres Regni aſsiduis plebis querimoniis & expoſtulationibus incitati, manus cogere, exercitúſque comparare inſtituerunt: vt Bonũ publicum

pro-

procurare, & Regi perditam Reip. adminiſtrationem (verba ſunt Philippi Cominii lib. 1. cap. 2.) demõſtrare poſſent. Inſtructi enim & parati cum exercitu eſſe volebant, vt ſi Rex conſulere bono publico, & bonis conſiliis parere detractaret, vi cogere inuitum poſſent. qua de cauſſa bellum illud Bono publico ſuſceptum dicebatur, vulgóque Bellum boni publici appellatum eſt: Procerum nomina idem Cominius, Gillius, Lamarcius hæc prodiderunt: Dux Borbonius, Dux Biturigum Regis frater, Comites Dunenſis, Niuernenſis, Armeniacus, Albretius, & is ad quem ſumma imperii reſpiciebat, Dux Carrolenſis. Quacunque autem iter faciebant, pronuntiari iubebant, ſe illud Bono publico conſtituere, tributorúmque & vectigalium immunitatem indicebant (quæ omnia Gillii verba ſunt lib. 4. fol. 152.) legatóſque & literas Lutetiam ad Parlamentum, Eccleſiaſticos & Academiæ Rectorem miſerunt (verba hæc eiuſdem Gillii ſunt fol. eodem) ne putarent exercitum illum in Regis perniciem comparatum fuiſſe: verùm vt illum ad boni Regis officium reuocarent, ſicuti boni publici ratio poſtulabat. Verba autem Annalium, qui Chronica Ludouici XI. inſcripti ſunt, Lutetiæ à Gallioto impreſſa, hæc ferè ſunt: fol. 27. Primum & ſummum poſtulato-

rum caput hoc fuit, vt Trium ordinum conuentus haberetur: quippe, quod vnicum omnibus feculis, malorum omnium remedium fuiffet, vimq; femper eiufmodi incommodis medendi habuiffet. Rurfus pag 28. Procerũ legatis Senat⁹ datus eft Lutetiæ, die XXIIII, in Curia quæ Domus ciuitatis dicitur: in quo affuerunt delecti ex Academia, ex Parlamento, & ex Magiftratibus. Refponfum eft, eorum poftulatum æquifsimum videri, conciliúmque trium Ordinum indictũ eft. Hæc inquam, Hiftorici verba funt, fol.28. ex quibus verifsimum iftud M. Antonii vetus verbum effe apparet: Etfi omnes moleftæ femper feditiones funt, iuftas tamen effe nonnullas, & propè neceffarias. eas verò iuftifsimas maximéque neceffarias videri, cùm populus Tyranni fæuitia oppreffus, auxilium à legitimo Ciuium conuentu implorat. Itaque Guaguinus in vita eiufdem Ludouici, vbi refponfum Caroli Burgundiæ Ducis ad Regis legatos exponit: his vtitur verbis: pag.265: Audiuit, inquit, Carolus legatos, verùm ad Pacem nihil commodius effe refpondit, quàm trium Ordinum conuentum, vbi tantas animorum & belli difcordias componi oporteret. quod poftquàm per nuntios legati Ludouico retulerunt, ipfe in dilatione fpem reponens, Conciliũ apud Turones ad Kal. April. anni

anni MCCCCLXVII indixit. Cõuentionis definito tempore, affuere ex toto Regno &c. Quod idem totidẽ verbis traditur in iis quæ diximus Annalibus, fol.64. & in Magno Chron. vol.4: fol.242. vbi etiã illud additum eft, quod memoria dignum fummoperè obferuandum videtur, placuiffe in eo Concilio, vt certi probatiq; viri ex fingulis ordinibus deligerentur, qui Remp. cõftituerent, & (vt ad verbum interpretemur) iuri ac iufticiæ prouiderent. At N. Gillius, eo quẽ oftendimus loco, Poft prælium, inquit, Montlerinum, delecti funt complures egregiè cordati & prudentes viri, qui boni publici curatores effent: quemadmodũ inter Regem & fupradictos proceres conuenerat: primúfque in eo numero fuit Comes Dunenfis, qui primus difcefsionis illius auctor fuerat. Erat autem (vt fuperiùs dictum eft) antiquæ confuetudinis, poftquam Ecclefiafticorum opes in tantam potentiam excreuerant, vt populus in tres ordines defcriberetur, quorum vnum Ecclefiaftici obtinerent: cúmque Reip. curatores conftituerentur, duodeni ex vnoquoque ordine diligerentur. Itaque in eo Concilio conftitutum fuit, vt XXXVI Reip. curatores crearentur, qui communi confilio publicis incommodis mederentur. Qua de re Monftrelletus vol. 4. fol. 150. ita fcri-

bit:Principio decretum est,vt ad Remp.con stituendam,plebémque tributis & detrimentis subleuandam XXXVI viri auctoritate Regia deligerentur: duodeni ex clero, totidem ex equitibus, & totidem iuris & iustitiæ periti: quibus potestas permitteretur videndi, quibus vitiis atque incommodis Regnum laboraret,iísque vitiis remedium adhibendi: fidémque Rex regali dicto promissóque dedit(ad verbum,Et promisit Rex in verbo Regis)ratū se habiturū, quicquid illi XXXVI viri constituerent. Hæc Monstrelletus: cui Oliuerius Lamarcius Belga, in historiæ suæ cap.35.totidem propè verbis subscribit,eundémque XXXVI Curatorum Reip.numerum prodit: simúlque ascribit, cùm Rex ei dicto promissóque non stetisset, fidémq; publicam & publicè iuratam violasset, miserrimum in Francogallia bellum exarsisse,quod annos propè XIII durauit. Ita Regis periurium cùm ipsius infamia, tum etiam populi pernicie expiatum est. Vtcunque sit, perspicuum est,nondum centesimum annum abiisse,ex quo Francogalliæ libertas, solennisque Concilii auctoritas vigebat: & vigebat aduersus Regem,neque ætate,neque animo imbecillum: sed & iam annorū XL maiorem, & tanta ingenii magnitudine præditum,quantam nunquam in vllo Rege nostro fuisse constat.

stat. vt facilè intelligatur, Remp.nostram libertate fundatam & stabilitam, annos amplius centum & mille statum illum suum liberum & sacrosanctum,etiam vi & armis aduersus Tyrannorum potentiam, retinuisse. Neque verò præclarum hac de re Philippi Cominii clarissimi viri & ornatissimi historici elogium prætermittendum videtur: qui lib.Hist.5.cap.18,in hanc scribit sententiam, quam ad verbum conuertimus. Quare vt in instituto sermone pergamus, ecquis est in orbe terrarum Rex, aut Princeps, cui ius sit tributum vnius teruncii subiectis suis sine ipsorum consensu & voluntate imponere? nisi violentia & tyrannide vti velit. Atenim (dixerit aliquis)potest tempus incidere,cùm populi Concilium expectandum non est:neque tantam moram res patitur. Verùm in bello suscipiendo nihil tanta celeritate est opus:satis ad eam rem temporis suppeditat. Addo etiam illud, cùm Reges & Principes bellum ciuium suorum consensu suscipiunt, multò & potentiores sunt, & hostibus suis formidabiliores.Et rursus aliquantò post: Regem Galliæ minimè omniū decet his vti verbis: Habeo potestatem exigendi à meis ciuibus, quantùm mihi libet. Nam neque ipse,neque quisquam alius eam potestatem habet. Qui verò his vtuntur verbis, nullum ei honorem

tribuunt:neque illius auctoritatem & exiſtimationem apud exteras nationes augent: verùm ex contrario terrorem finitimis iniiciunt:qui nulla conditione dominatum illius ſubire vellent. At ſi Rex noſter, aut ii qui potentiam eius prædicant,ita loquerentur:Habeo ſubiectos ita manſuetos & obſequentes, vt nihil eorum quæ impero facere detrectent, neque quiſquam Princeps ſubiectos habet æquè obſequentes, quique calamitatum & incommodorum ſuorum faciliùs obliuiſcantur: hæc oratio magnæ illi laudi,atque ornamento eſſet. Verùm illa Regem non decet: Exigo,quantum volo: eiúſque rei poteſtatem habeo: quam mihi conſeruare volo. Rex Carolus quintus hac oratione non vtebatur. Neque ſanè Regem vllum noſtrum illis vtentem verbis audiui:ſed quoſdam ipſorum comites & miniſtros: qui ſibi bonam Regibus nauare operam videbantur. Verùm meo iudicio aduerſus illos peccabant:& tantum aſſentandi cauſſa ita loquebantur:neque ſatis quid dicerent, conſiderabant. Atque vt certius manſueti Gallorum ingenii argumentum proferamus,conſideremus Concilium trium Ordinum Turonibus,poſt Regis noſtri Ludouici XI exceſſum habitum:anno nimirum 1484. Exiſtimari per id tempus poterat, bonũ illud Ordinum

dinum conuentum periculoſum eſſe. dicebantque neſcio qui,non magni pretii homines,ſæpiúſque poſt id tempus dixerunt, crimen eſſe læſæ Maieſtatis, ſiquis de trium Ordinum concilio conuocando verba faciat. Id enim ad minuendam Regis auctoritatẽ pertinere. Verùm illi ipſi ſunt, qui crimen illud aduerſus Deum, & Regem & Remp. committunt. Neque verba eiuſmodi aliis proſunt, quàm iis,qui nullo ſuo merito gradus honorum & dignitatum obtinent: neque ad illos obtinendos ſunt idonei:ſed aſſentari & ſeruire auribus didicerunt, & nugatoriis de rebus verba facere: magnóſque cõuentus hominum reformidant,ne quales ſunt, tales agnoſcantur: eorúmque opera vituperentur.

¶ An mulieres, non vt ab hereditate Regni,ſic ab eius procuratione,Francogallico iure,arceantur.

CAP. XIX.

QVoniam de Regni procuratione & ſumma Reip. adminiſtrandæ inſtituta diſputatio eſt, non prætereũda quæſtio videtur, An mulieres nõ vt ab hereditate Regni, ſic etiã ab eius procuratione arceãtur. Primùm autem illud apertè teſtatũ volumus, nos neq;

de Romanorum, neque de aliarum gentium iure, sed tantùm de huius nostræ Francogalliæ institutis disserere. Nam vt notum omnibus est, Romanorum institutis mulieres propter infirmitatem consilii in perpetua tutorum potestate fuisse, atque ab omnibus non modò publicis, verumetiam ciuilibus negotiis arceri: ita nonnullis aliis in gentibus mulieres summam imperii vetustis moribus obtinent. Britãni sexum in imperiis non discernunt: inquit Tacitus in Agric. vita. Hoc igitur constituto, & testificatione nostra planè ac dilucidè proposita, deinceps ad quæstionem accedamus. Nam ei caussam præbuisse superiorum aliquot temporum exempla videntur, quibus constat, Regnum Francogalliæ à Reginis, præsertim viduis, & Regum puerorum matribus, administratum fuisse. Ex contrario tamẽ pugnat primùm ratio disputandi vsitata, vt cui per se Reginam esse ius non est, eidem regẽdi ius ac potestas non sit. Per se autem Reginam esse mulierem nõ posse, neque Regni hereditatem ei ex eáve prognatis deferri: sed si Reginæ appellantur, per accidens, & propter Reges maritos id fieri: superiùs ex antiquis M C C annorum monimentis demõstratum est. Eò accedit, quod superiùs docuimus, quemadmodum omnis & creandorum & abdicãdorum Regum potestas

testas penes publicum Conciliũ erat, ita Curatoris Reip. siue Moderatoris deligendi ius summum penes idem Conciliũ fuisse. Quinetiam creatis Regibus tamen summam imperii admistrandi potestatem ab eodẽ Concilio retentam fuisse: neque centesimum adhuc exisse annum, cùm regnante Ludouico XI. quantumuis astuto & callido, X X X V I. Reipub. curatores, tanquam Ephori ab eodem concilio constituti sunt. Quòd si maiorum nostrorum auctoritatem quærimus, extat insignis apud Aimoin. lib. 4. cap. 1. vbi de Brunechilde, Regina matre Childeberti Regis commemorans ita loquitur: Simul, inquit, quia Brunechildis summam Regni solicitudinem sibi reseruare velle intelligebatur, & primates Franciæ tanto tempore fœmineo dominatui dedignabãtur subiici. &c. Et profectò ita est, vt si quando Regni procurationem apud maiores nostros mulieres adeptæ sunt, semper ea res miras in Repub. nostra tragœdias excitarit. Cuius rei non alienum videtur exempla quædam proponere. Dominata est quondam Chrotildis, Regina mater Childeberti & Clotharii Regum, quæ cùm alterius filii nomine Chlodomeris demortui filios insano quodam amore prosequeretur, summam contentionem adhibuit, vt nepotes remotis filiis in

regiam dignitatem producerétur. Itaque capillitium eorum, pro eo instituto de quo superiús diximus, summa cum cura & diligentia nutriebat. Cuius rei Reges fratres certiores facti, confestim Arcadium quendam ad eam miserunt, qui nudum gladium simúlq; forcipem ei ostentans, optionem illi faceret, vtrum illorum nepotum suorum capiti admoueri mallet. At illa, inquit Gregorius Turon. nimium felle commota, præcipuè cùm gladium cerneret euaginatum ac forcipem, amaritudine præuenta, respondit: Satius mihi est, si ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonsos. Ita nepos vterque in ipsius conspectu interfectus est. Auctore eodem Gregor. lib. 3. cap. 18. vbi tamen subiungit, Reginam hanc liberalitatibus & donationibus in monasteria collatis plebis & vulgi beneuolentiam conciliasse. Date frenos (inquibat Cato) impotenti naturæ, & indomito animali, & sperate ipsas modum licentiæ facturas. Quid? quàm effrenatum illud fuit animal, illa, inquam, Theodorici Regis filia, natione Itala, quæ serui sui amore insana, vbi matris iussu illum interfectum cognouit, per speciē reconciliatæ cum matre gratiæ sacramentum se dominicæ cœnæ cum illa communicare velle ostendit, veneńoq; in calicem infuso impietate simul & crude-

crudelitate nefaria matrem sustulit. Verba Gregorii Turonensis lib. 4. cap. 33. hæc sunt: Erant sub Ariana secta viuentes: & quia consuetudo eorum est, vt ad altarium venientes de alio calice Reges communicēt, & de alio populus minor (notanda consuetudo calicis cum plebe communicati) venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat, quo illa hausto protinus mortua est. Dominata est quondā Fredegunda, Regina mater, Chilperici primi vidua. Hæc marito superstite cum Landerio quodam adulterii consuetudinem habuerat. Vbi Chilpericum id sensisse animaduertit, interficiēdum eum curauit: confestímq; Regni procurationem filii sui Regis Clotharii nomine, tanquam Regina mater suscepit: eámq; annos XIII. sustinuit. Primùm Childebertum filii sui patruum, eiúsque vxorem veneno sustulit: tum Hunnos aduersus ipsius filios concitauit: bellúmque ciuile in Remp. immisit. fax denique illorum incendiorum fuit, quibus Francogallia multos annos exarsit. auctore Aimoino lib. 3. cap. 36. & lib. 8. cap. 29. Dominata est Regina mater Childeberti Brunechildis, Sigeberti Regis vidua: Hæc Italum quendā nomine Protadium in deliciis habebat, eúmq; omnib⁹ honorib⁹ amplificabat. Hæc eadē filios suos Theodebertū & Theo

doricum adoleſcentes in eam vitæ flagitioſæ conſuetudinem adduxit, vt tandem capitales inter ſe inimicitias gererẽt, bellóq; diuturno cõflictati prælium atrociſsimum committerent. Meroueum nepotem ſuum Theodeberti filium ſua manu interfecit. Theodoricum veneno ſuſtulit. Quid amplius? Date frenos (inquibat Cato) impotenti naturæ, & indomito animali, & ſperate ipſas modum licentiæ facturas. Decem principibus Regiis necis cauſſam attulit. Cúmque ab Epiſcopo quodam obiurgata eſſet, rogatáque vt ſe ad frugem conuerteret, illum in profluentem deturbari iuſsit. Ad extremum Concilio Francorum indicto, in iudicium vocata, damnata, & ab equo currente diſtracta, membratimque dilaniata eſt. Auctoribus Greg. Turon. lib. 5. cap. 39. & lib. 8. cap. 29. & Adone Aetat. VI. Ottone Friſingenſi Chro. 5. cap. 7. Godfrid. Viterb. Chron. parte 16. & Aimoino lib. 4. cap. 1. itémque Appendice Gregor. Turon. lib. 11. cuius hæc verba ſunt: Reputans ei quòd x. Reges Frãcorum per eam interfecti fuiſſent: id eſt, Sigebertus, Meroueus, & genitor ſuus Chilpericus, Theodebertus & filius ſuus Clotharius, item Meroueus filius Clotharii, Theodoricus, eiuſdémque tres qui ad præſens extincti fuerant, per triduũ eam diuerſis tormentis afflictã iubet

prius camelo per omnem exercitum ſedentem perducere: poſthæc comam capitis vno pede & brachio ad ferociſsimi equi caudam ligare: à quo calcibus & velocitate curſus membratim diſrumpitur. Age, de ceteris videamus. Dominata eſt Plectrudis, nõ Regis, ſed Regii præfecti Pipini vidua, qui tum Regium imperiũ obtinebat, cum inane Regium nomen Dagobertus ſecũdus ſuſtineret. Hæc Plectrudis propter adulterii & flagitioſæ vitæ turpitudinem à Pipino repudiata, marito mortuo multarum in Gallia ſeditionum auctor fuit. Carolum Martellum Palatii magiſtrum, fortiſsimum virum, abire Magiſtratu coegit, aliúmque Theobaldum impurum & nefarium hominem in ipſius locum ſuffecit. tandem funeſtum ciuile bellum inter Francos ipſos excitauit, qui variis præliis & (vt ait Aimoinus) duriſsimis cædibus ſeſe mutuò proſtrauerunt lib. 4. cap. 50. & cap. ſeq. Quin etiam auctor libelli cui titulus eſt, Status Regni Franciæ, ſub Dagoberto II. his vtitur verbis: Cùm Franci Plectrudis furores atque inſanias ferre non poſſent, neque in Dagoberto Rege ſpem vllam reliquam viderent, Danielem quendam ſibi Regem delegerunt, qui anteà monachus fuerat, cúmque Chilpericum nominarunt. quam hiſtoriam ſuperiùs quodam loco perſtrinximus. Sed

reliquas videamus. Dominata est Regina mater Caroli Calui, nomine Iuditha, Ludouici cognomento Pii coniux: qui non modò Francogalliæ Rex, verumetiam Italiæ & Germaniæ Imperator fuit. Hæc miserum fataléque bellum inter Ludouicum & ipsius filios priuignos suos excitauit: vnde nata horum aduersus parentem tanta coniuratio, vt illum imperio se abdicare, suámque illis dignitatem cedere, magno totius propè Europæ incommodo cogerent. Quorum incommodorum culpam Historici omnes magna ex parte in illam Reginam matrem Iuditham conferunt, cuius rei testes Abbas Vrsperg. Michael Ritius & Otto Frising. Chron. 5. cap. 34: Ludouicus, inquit, propter mala opera vxoris suæ Iudith regno pulsus est. Itémque Rhegino in Chro. ann. MCCCXXXVIII. vbi sic scribit: Ludouicus à suis imperio priuatur, & priuatus custodiæ traditur, Regníque monarchia Lothario filio eius per electionem Francorum datur. Fuit autem hæc deiectio pro maxima parte facta propter multimodam fornicationem Iudithæ vxoris eius. Aliquot post seculis dominata est Blanca Regina, mater Ludouici cognomento Diui, natione Hispana. Vt primùm gubernaculum arripuit, concurrere ad arma Galliæ proceres cœperunt,

runt, Duce Philippo, Comite Bolonico, Regis patruo: qui (vt summus auctor scribit Ioannes Ionuillæus capite histor. 4.) ferendum non esse clamitabant, tantum Regnum à muliere, eáque peregrina, administrari. Itaque Comitem Philippum proceres illi, repudiata Blanca, Regni procuratorem delegerunt. At Blanca nihilominus in instituto perseuerare, & auxilia vndique accersere: Ferdinãdum denique Hispaniæ Regem fœdere sibi atque amicitia adiungere instituit. Cùm Duci Philippo Dux Britanniæ & Comes Eboracensis ipsius frater sese coniunxissent, deimprouiso oppida aliquot interceperunt, eáque præsidiis firmarunt. quod Ionuillæus capite 5. commemorat: atque ita grauissimum in Gallia bellum, propter occupatam à Regina matre Regni procurationem, exarsit. Fortè tum accidit, vt Rex Stampas à matre armorum caussa missus, proficisceretur. Eò confestim multis ex partibus Proceres aduolarunt, Regémque obsidere cœperunt: non lædendi (inquit Ionuillæus) aut violandi illius cõsilio: sed (vt idem testatur) vt eum à matris potestate abducerent. Quare ad illam perlata, quæ tum Lutetiæ permanserat, celeriter armari Parisiẽses, & Stampas proficisci iubet. Vix eæ copiæ Montlericũ peruenerãt, cùm Rex obsidione

liberatus, ad eos accedit: Lutetiámque vnà cùm ipsis reuertitur. Vbi se Philippus domesticis copiis minus instructum animaduertit, Reginam Cypri, quæ in Regno controuersiam quandam habebat, subsidio accersit. Hæc magnis copiis in Campaniam ingressa, latè regionem illam populatur. Blanca nihilominus in sententia permanet. Itaque Anglorum auxilium Proceres ad extremum in Regni fines introducunt. Hi magnis incommodis Aquitaniam, cæterásque maritimas regiones afficiunt: quæ incommoda omnia ex Reginæ illius matris impotentia atque ambitione nata fuisse, Ionuillæus multis verbis commemorat: cap. 7, 8, 8, 9, & 10. Et quoniam longè alia de Blancæ ingenio & moribus nostrorum hominum opinio est, propter eorum (vt credi par est) qui per ea tempora scripserunt, assentationes (nam Reginis matribus Scriptores ferè vel supplicii metu, vel propter Regum filiorum existimationem parcunt) non prætermittendum videtur, quod idem Ionuillæus cap. 76. commemorat, illam vsque eò filium in potestate sua habuisse, vsque adeò illum timidum abiectúmque redegisse, vt cùm ipsius vxorem nurum suam Margaretam odio haberet, raro admodum Regem cum illa versari pateretur. Itaque cùm Rex iter faceret,

Blanca

Blanca metatoribus imperabat, vt hospitium Reginæ separatim à Rege assignarent. quinetiam si quando Rex noctu furtim ad coniugem accedebat, tum hostiarios in speculis collocabat. & si fortè Blancam aduentare intelligerent, tum fuste canes ab illis cædi imperabat: quorum clamore de sese occultando commoneretur. Quid amplius? Die quodam (inquit Ionuillæus) cùm Regina Margareta è puerperio ægrotaret, Réxq; pro amicitia ad illam venisset, repente Blanca interuenit. Rex clamore canum admonitus, sese in lectuli angulum abdidit, cortinísque inuoluit. Illa nihilominus inuentum Regem manu, inspectantibus omnibus, prehendit, ac simul è cubiculo eduxit: Tu hîc, inquiens, nihil agis. Egredere. At puerpera cùm tantam contumeliam acerbius tulisset, dolore exanimata est: coactique sunt cubicularii Regem reuocare, cuius aduentu puerpera recreata est, animúmque recepit. Atque hæc quidem Ionuillæus cap. hist. 76. totidem propè verbis commemorat. Rursus aliquot intermissis annis dominata est Isabella Caroli VI. dementis vidua. Prius enim quàm Concilii auctoritate Regni procuratio certis ac delectis viris mandari posset, multæ ab hominibus ambitiosis contentiones exortæ sunt. Sexies denique contro-

uersiæ renouatæ, sexies interpositis pactionibus sedatæ sunt. Tandē Isabella Parisiis exacta, Carnutum se recepit. Ibi Philippū Moruillerium veteratorem nacta, Senatum sibi, & Prætorem, & Cancellariū Moruillerium illum instituit: eiusdémque consilio Typum Regium (quod Cancellariæ sigillum vulgò appellant) insculpi iussit, suámque in eo imaginem demissis brachiis imprimi: cùm in diplomatibus hac præfatione vteretur: Isabella Dei gratia Regina Franciæ: quæ propter incommodā Regis valetudinem Regni procurationem obtinet. Verùm vbi Respub. multis affecta incommodis, ac prope iam ad interitum adducta videretur, publico consilio Turones amandata est: quatuórque illi tutores attributi; qui belluam illam indomitam domi continerent: viderêntque nequam rem agere, ac ne literam quidem vllam sine ipsorum permissu scribere posset. Cuius rei extat apud Monstrelettum copiosa historia cap. 161. & cap. 168.

¶ De Parlamentis iuridicialibus.

CAP. XX.

SVB eadem Capeuingiorum familia exortum est in Francogallia Regnum iudiciale, de quo nobis propter incredibilem

lem

lem artificum industriam & inauditam seculis omnibus solertiam dicendum videtur. Dominatur hoc tempore passim in Gallia genus hominum, qui Iuridici à nonnullis, Pragmatici ab aliis appellantur. Horum tanta trecentis ferè abhinc annis fuit solertia, vt non modò publici Concilii auctoritatem (de qua superiùs diximus) prope iam oppresserint, verum etiā omnes Regni Principes, atque adeò Maiestatem Regiam amplitudini suæ parere coëgerint. Itaq; quibus in oppidis illius Regni sedes positæ sunt, in iis tertia ferè ciuium & incolarum pars tantis excitata præmiis ad illius se artis Rabulariæ studium ac disciplinam applicauit. quod vel Lutetiæ, quæ cæterarum ciuitatum omnium princeps numeratur, cuiuis licet animaduertere. Quis enim vel triduum in illa vrbe versatus, non animaduertit, tertiam ciuium partem, artem istam Pragmaticam & litigatoriam factitare? Itaque summus in ea Pragmaticorum conuentus (qui Purpuratus Senatus dicitur) tantarum opum, tantæque dignitatis est, vt quemadmodum Iugurtha de Senatu Romano quondam dixisse fertur, non iam Consiliariorum, sed Regum ac Satraparum consessus videatur. quippe, cùm in illum allecti, quantūuis abiecto loco nati, tamen paucorum annorū spa-

tio regales propè opes sibi concilient. Itaque aliæ ciuitates complures omni contentione pugnarunt, vt eiusdemmodi consessus iuridiciales apud se haberent: iámque celeberrima hæc Parlamenta numerantur: Parisiense, Tolosanum, Rhotomagense, Gratianopolitanum, Burdegalense, Aquense, Diuionense: quæ omnia stataria & sedentaria sunt. Octauum verò mobile & ambulatorium, quod Grande consilium appellatur. In horum Regnorum finibus sunt & aliæ, vt sic dicam, Satrapiæ, quæ superiorum illorum amplitudinem, quoad possunt, imitantur: & vulgò Sedes præsidiales nominantur: tantáque huius morbi vis atque contagio est, vt quemadmodum olim Aegyptiorum bona pars Tyrannorum suorum imperio in pyramidibus, & eiusmodi molibus extruendis occupata erat, sic maximus gentis Gallicæ numerus in litibus & calumniis exercendis, & forensibus scriptitationibus operam consumat. Nomen autem Parlamenti antiqua nostrorum hominum lingua colloquium significat multorũ variis ex locis certum aliquem in locum cõuenientium, vt de communibus rebus communicent. itaque in Chronicis veteribus siquando principes legatíve principum de pace, aut bellicis pactionibus conuenerunt, semper colloquium illud

illud condictum, Parlamenti nomine appellatur. Eadémque ratione publicum ordinũ Concilium vetusta lingua Parlamentum dicebatur. quod cùm maximæ auctoritatis esset, eámque auctoritatem imminuere Capeuingii molirentur, & certorum Senatorum numerum in eius Concilii locum substituere, augustum illud Parlamenti nomen in illũ Senatum transtulerunt, eíque hanc auctoritatem attribuerunt: primùm vt nulla Regia Lex, nulla constitutio rata esset, nisi cuius illi consiliarii auctores cõprobatoréśque fuissent: deinde vt nullus tota Gallia Magistratus, non modò vrbanus, verumetiam militaris esset, quem non ab illo consessu inaugurari, & apud eundem in leges iurare oporteret: tum vt ab eorum iudiciis appellandi ius non esset: sed vt eorum decreta rata & fixa essent. Postremò quicquid potestatis, imperii, auctoritatis penes publicum Conciliũ per tot annos fuisse docuimus, id totũ Senatus ille subdititius sibi vsurpauit: in quem Reges cooptandos curabant, quos ad suas rationes acmodatos fore videbant. Quare quibus initiis ac radicibus in tantam amplitudinem excreuerit, paulisper considerandum est. Primùm igitur Basilica Regia Lutetiæ opere magnifico extructa est: imperio, vt plerique affirmant, Regis Ludouici Hutini, quo no-

mine prisca lingua nostra Turbulentus signi ficatur: vel, vt nonnulli disputant, Regis Philippi Pulchri, circiter annum 1314: studio certè atque opera Enguerrantii Marignii Comitis Longueuilii, qui aliquot interiectis annis in patibulo Parisiensi propter peculatus crimen reste suspensus est. Vtcũque sit, quod AEgyptii Reges fecisse narrantur, vt imperio suo subiectos in pyramidibus extruendis occuparent, in quibus Rex Chemnis præcipuè memoratur, qui hominum 360. millia ad pyramidem extruendam conduxit: idem tum Francogalliæ Reges in arte rabularia tradenda fecisse dici possunt. Gaguini autem Historici in Hutini Regis vita, verba hæc sunt: Hic Ludouicus instituit Parlamenti curiam Parisiis stabilem esse, & loco non moueri, ne litigatores crebris circuitionibus vexarentur. Hæc ille. Nam quòd nonnulli ad Pipinum vel Carolum Magnum institutum illud referunt, quàm absurdum id sit, facilè ex iis quæ mox docebimus, constabit. Quinetiam Caroli Magni leges & constitutiones complures extant, quarum in nulla neque Parlamenti, neque maioris illius Senatus mẽtio interponitur: sed tantùm sancitur, vt certis locis forum à Iuridicis agatur, & conuentus habeantur, quæ ille vsitata consuetudine Placitũ, & Mallum appellat: veluti legis Francicæ. libro

libro 4. cap. 35. Vt in anno tria solummodo generalia placita obseruare compellat: nisi fortè quilibet aut accusatus fuerit, aut alium occupauerit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Multæque aliæ in eandem sententiam eiusdem Regis leges extant, ex quibus de litium paucitate existimare licet. Ac planè verissimum arbitror, quod video à nonnullis hominibus nostris traditum, tantam litium, calumniarum & sycophantiarum sementem factam primam à Papa Clemente 5, qui Philippi illius Pulchri tempore Papatus sedem Auenionem transtulit. cúmque magna ipsius aulici & pragmatici consuetudine cum hominibus nostris implicarentur, semina Romanæ artis rabulariæ in mores nostros sparsisse. Sed ne tam longè abeamus: Regnauit circiter annum 1230. Ludouicus cognomento Diuus: cuius vitam Ioannes Ionuillæus de quo superiùs aliquoties meminimus, conscripsit. At ex huius commentario quanta per id tempus litium & calumniarum esset raritas, vel hinc licet intelligatur, quòd Rex ipse Ludouicus vel controuersias disceptabat, vel disceptandi negotium nonnullis è suo Comitatu mandabat. Itaque cap. 94. ita scribit: Solebat, inquit, imperare Domino Nellio, domino Suessionensi, & mihi, vt iudiciis quæ ad portam

appellantur,operam daremus. Tum mittebat qui nos ad se accerseret: quærebatque ex nobis, quo statu res esset, ecquod esset iudicium, quod sine ipso exerceri non posset. ac sæpe accidit, vt re per nos ad ipsum delata, litigatores ipsos accersiri ad se imperaret, caussamque ex bono & æquo disceptaret. Sæpenumerò in saltum Vincennam animi caussa exibat: viridique in cespite ad quercus alicuius radicem considens, sibi nos assidere iubebat: & siqui negotii quippiam habebant, eos vocari ad se iubeat. Quinetiam ipse clarè pronũtiabat, si quis litem & aduersarium haberet, vt accederet, & iusta sua exponeret. Tum siquis accedebat, Rex attentè ipsum audiebat, ac re cognita, sententiam ex bono & æquo pronuntiabat. Interdum negotium dabat Petro Fontanio, & Godefrido Vilettio, vt litigatoribus operam darent, & caussas disceptarent. Vidi etiam aliquoties, cùm bonus ille Rex Lutetiæ in hortum suburbanum exiret, tunica mediocri indutus: ibique mensam tapeto insterni imperabat. Tum silentio facto, introduci ad se litigatores iubebat, caussásque suas agere: iúsque ex tempore reddebat. Hæc Ionuillæus. Ex quibus existimari potest, quanta litium & litigatorum illis temporibus esset paucitas: quantáque

Regum

Regum illorum in cauendis litium molestiis solicitudo. Nam Caroli quoque Magni hæc lex in Capitulari extat: Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quòd nos in omni hebdomada vnum diem ad caussas audiendas sedere volumus. Eiusdemmodi testimonium extat apud Guilliel. Budæum, virum clarissimum, & Galliæ nostræ ornamentum insigne. Nam in Annot. in Pandectas, vbi hoc idem argumentum tractat, & Regnum Rabularium insectatur, commemorat se in Regiis venerandæ vetustatis cõmẽtariis (quorum copiam pro sua dignitate summam habere potuit) reperisse, dominante illo eodem Rege Ludouico, anno 1230, orta inter Regem & Comitem Britanniæ controuersia castrense iudicium Enceniaci coactum fuisse, (vtriusque vt credi par est, consensu) in eóque Iudices sedisse, non Iustinianici iuris peritos ac doctores, sed tantum Episcopos, Comites, & Barones. damnatúmque Britannicum, & decretum vt incolæ iureiurando & fide illi data soluerentur. Rursus eodem imperante, anno 1259 cùm orta cõtrouersia esset de Comitatu Claromontano inter Regem & Comites Pictauiensem, & Andegauensem: constitutum ex eodem hominum genere iudicium fuisse, sedisséque Episcopos, Abbates, Maximum fratrum præ-

dicatorum Magistrum, Constabularium, Barones, & aliquot Laicos. Simúlque ita subiungit. Duo tamen quotannis Parlamenta cogebantur, ad natalem, Purificationémque diuæ Dei genetricis, quomodo & duo quæ vocantur Scacaria apud Northmannos, ad Pascha & ad Diui Michaelis. Hæc Budæus. cui consentaneum est, quod extat in veteri libello de institutione Parlamētorum. Nam ex Philippi 4. cognomento Pulchri constitutione caput hoc profertur, ex anno 1302. Præterea propter subiectorum nostrorum commodum, & caussarum expeditionem proponimus ordinare, quòd duo Parlamenta Parisiis, & duo Scacaria Rhotomagi, Diésque Trecenses bis tenebuntur in anno: & quòd Parlamentum apud Tholosam tenebitur, sicut teneri solebat temporibus retroactis, si gentes terræ consentiant. Item quia multæ caussæ magnæ in nostro Parlamento inter magnas & notabiles personas aguntur, ordinamus & volumus, quòd duo Prælati & duæ aliæ personæ sufficientes, Laicæ, de nostro consilio, vel saltem vnus prælatus, & vna persona Laica, caussas prædictas audiendi, deliberandíque gratia continuè in nostris Parlamentis existant. Quibus ex verbis intelligi potest, primùm quàm rarò per ea tempora iudicia exercerentur. deinde quàm pau-

ci iudices in illo Parlamento sederent. Nam quantùm ad cæteras præfecturas Regníque prouinciales, extat Philippi Pulchri constitutio, in eodem libello his verbis edita, anno 1302. Præcipimus insuper, quòd Seneschalli & Balliui nostri teneant suas asisias in circuitu Seneschalliarum & Balliuiarum summariè, de duobus mensibus in duobus ad minus. Quinetiam Budæus eodem quem superiùs notauimus loco scribit, an. 1293 à Rege Philippo Pulchro constitutum fuisse, vt in Parlamento trifarii generis sederent. Prælati, Barones, & mixti Clerici cum Laicis. cùm Laici, inquit, partim ex equitibus, partim ex promiscuo genere hominum deligerentur. Item vt Prælati & Barones ex illo tertio genere statuerent, qui ad quanque iurisdictionem exercendam idonei viderentur. simul vt tres viros deligerent, qui in eas regiones mitterentur, quæ iure scripto vtebantur: vt in iis ius dicerent: & siqua capitalis quæstio habēda esset, literatissimos quosque adhiberent. Quo loco Budæus horum temporum cōsuetudinem, hoc est Regnū iuridiciale deplorans, ex Iuuenalis versu sic exclamat: Quondam hoc indigenæ viuebāt more: simúlq; ita subscribit. Ita enim nobis exclamare in mentem venit: antiquioribus illis seculis, florēte tamen hoc Regno (quod ex nomismatis ap-

paret auro obryzo percussis) simplicem & facilem ius reddendi rationem, rarásque lites, nec diuturnas, vt nunc, aut etiam seculares fuisse: cùm nondum ista turba interpretum Iuris Rempublic. inuasisset: nec dum scientia iuris latissimè atque etiam in infinitum patere crederetur. sed æquum bonúmque, & iudex prudens integritate atque innocentia præditus, instar sexcentorum voluminum essent. Nunc verò quò res reciderit, nemo quidem non videt, sed omnes dicere mussant. Hactenus Budæus, grauissimus vbique & acerrimus artis tabulariæ aduersarius. Nunc vt ad nostram historiam redeamus, doceamúsque quibus initiis ac fundamētis Regnū istud litigatorium excitatum fuerit: quemadmodum Cicero scribit Pōtifices veteres propter sacrificiorum multitudinem, tres viros Epulones instituisse, quáuis essent ipsi à Numa, vt etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti: eodem modo ex illo perexiguo Iudicum Parlamentariorum numero, crescente litium multitudine, incredibilis Iudicum & Cōsiliariorum soboles propagata est. Ac primùm Basilica ingens, sumptuosa, magnifica, Regis vt superiùs diximus Ludouici Hutini, vel Philippi Pulchri imperio ædificata est: tum ex mediocri iudicum numero tres decuriæ factæ, Magnæ Cameræ,

ræ, Inquisitionum, & Postulatorum: quam partitionem Budæus eodem illo loco, sed copiosius Gaguinus in Regis Hutini vita commemorat. Quo loco prætermittendum non videtur, quod vterque illorum memoriæ prodidit, atque insigne est ad omnem memoriā documentum, illum iudicum conuentum nō perpetuum & perēnem (vt hoc tempore) sed indictiuum fuisse, nec nisi certo Principis mādatu exerceri solitum: quod quotannis ineūte mense Nouembri edictum Regis proponi oportet, vt eum renouari liceat. Atque vt huius, inquit Gaguinus, sacrosanctæ coitionis Regem auctorem esse certum sit, regia singulis quibusque annis rescripta eduntur, quibus ad D. Martini diem festum, id est, 2. Id. Nouemb. Parlamentum inchoandi iudicibus à Rege auctoritas datur. De mirabili autem & celeri huius Regni incremento etiam illud argumento esse potest, quòd circiter centum post annis, hoc est, anno 1453. regnante Carolo 7, hæc ab illo constitutio promulgata est: A festo Paschæ, vsque ad finem Parlamenti, Præsidentes & Consiliarii hora sexta de mane debent in suis cameris esse cōgregati. à festo S. Martini, post horam prædictam. Et aliquantò post: Pernecessarium est, vt Præsidentes & Cōsiliarii Curiæ post prandium veniant ad Parlamentum iudicandi &

expediendi caussa. Hæc Carolus 7. At Caroli Magni tempore, qui Regnum triplo maius obtinebat, quàm dissimilis iudiciorũ ratio fuerit vel ex hac ipsius lege facile intellectu est. Legis Frãcicæ. lib.4.cap.74: vt Comes placitum non habeat, nisi ieiunus. Iam de voce Parlamenti ac nominis etiam auctoritate illud argumentum extat, quòd cùm in ea parte Allobrogum quæ Delphinatus dicitur, antiquitus Senatus institutus fuisset, cum summa auctoritate, quod Concilium Delphinale dicebatur: tamen Ludouicus 11. qui bene de se meritis Delphinatibus benignè facere studebat, nomen Consilii in Parlamentum mutauit: quanuis nihil ad ius atque auctoritatem adderet: cuius rei Guidopapius testis est, quæst. 43. & rursus quæst. 554.

***

FINIS.

IN-

INDEX CAPITVM.

FINIS.